Biogr. 4
94
i

Biogr. 94 ½

Greve

(Eitzen)

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

Aug B

PAULUS AB EITZEN.

MEMORIA
PAVLI AB EITZEN
DOCTORIS THEOLOGI
ET SVPERINTENDENTIS HAMBVRGENSIS
INSTAVRATA

IN QVA

RES MAXIME MEMORABILES
AD HISTORIAM ECCLESIASTICAM
SECVLI DECIMI SEXTI
PRAECIPVE
HAMBVRGENSEM SPECTANTES
A MORTE AEPINI
VSQVE AD
EITZENII EX VRBE HAMBVRGENSI
DISCESSVM

EX DOCVMENTIS FIDE DIGNIS VARIIS
QVOQVE HACTENVS INEDITIS
RECENSET ET ILLVSTRAT

ARNOLDVS GREVE
VERBI DIVINI AD DIVAE CATHARINAE
AEDEM QVAE HAMBVRGI EST MINISTER.

HAMBVRGI
SVMTIBVS IOANNIS CAROLI BOHNII
CIↃ IↃ CC XLIV.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

MEMORIA
PAVLI GERHARDI TZEN

DOCTORIS THEOLOGI

ET SUPERINTENDENTIS HAMBURGENSIS

INSTAVRATA.

RITE MAXIME MEMORANDIS

AD HISTORIAM ECCLESIASTICAM

PRAECIPVE

HAMBVRGENSEM SPECTANTIBVS

ET

IOANNIS ARNOLDI

EX DOCTRINAE CAELESTIS VARIIS

GRADIBVS

RECENSITA ET ILLVSTRATA

A R N O L D V S G E R T V P.

VERBI DIVINI AD DIVAE SALVTIS VIAE

HAMBVRGI

SVMTIBVS IOANNIS CAROLI BIERMANNI

1764

VIRO
MAGNIFICO NOBILISSIMO
ET
IVRISCONSVLTISSIMO

MARTINO LVCAE SCHELE

I. V. D.

CONSVLI REIPVBLICAE
HAMBVRGENSIS
SENIORI
ET CVM MAXIME PRAESIDI

S. P. D.

ARNOLDVS GREVE.

SCHELE

G rauissimas TVAS, VIR MAGNIFICE, occupationes, quas urbis nostrae ciiuiumque felicitati impendis, interpellatum uenio. Et ipse sane, hoc, quod audeo, mihi crimini darem, nisi exploratum mihi esset, bonas litteras TIBI esse in deliciis, & illa praesertim scripta TIBI non displicere, in quibus rebus, ante tempora nostra

noſtra, in hac urbe geſtis, lux quaedam affunditur. Quibus legendis ad honeſtam & iucundam animi relaxationem uacare ſoles. Quamuis autem mea, quam hac in parte praeſto, opera, nemini magis, quam mihi, exigua uideri poſſit; uel ideo tamen non ſine uoluptate quadam a me ſuſcepta eſt, quoniam eam TIBI probari ſcio. TV enim ſubinde calcar mihi addidiſti, ut eam, quam exorſus eram, telam, pertexerem; TV non omni utilitate deſtitutam eam fore es arbitratus; TV & quibusdam adminiculis, hoc qualecunque inſtitutum meum promouere non es dedignatus. Accedit, quod coetus ille ſacer, in quo docentis officio fungor, TE PATRONVM ueneretur. Hinc arbitratus ſum, TIBI inprimis & otii mei, quo nonnunquam fruor, rationem reddendam eſſe.

Accipe igitur ſerena, ut confido, fronte, hunc libellum, ILLVSTRI TVO, mihique,

quoad uixero, obſeruando NOMINI *inſcri-*
ptum: Adſpira indies continuato, *de patria*
bene merendi, ſtudio, ad ulterius ſtabiliendam,
quam iam TIBI, prudentia, fide, dexteritate,
candore, conſilio, aequi rectique amore, ui-
gilantia & labore improbo paraſti, glorioſae
memoriae immortalitatem: Serua animum, ad
bonarum artium ſtudia, inprimis doctrinam
ſanctiorem eiusque cultores, propenſum: Et
fruere ſub praeſidio Diuino, florente coetu
ſacro, ſalua republica, uigentibus commerciis,
regimine pacato & tranquillo, uita quoque, ex
omnibus partibus, felici, & ad ultimos, qui
mortalibus praefixi ſunt, terminos, duratura.

Dabam Hamburgi die XXIV. Martii

CIↃ IↃ CC XLIV.

Lectori

Lectori Salutem.

Quam primum animum, ad consignandas uitas summorum Praesulum Hamburgensium, quos olim *Superintendentes* nominauimus, appuli, id potissimum constitutum habebam, ut historiam sacram ciuitatis nostrae, dulcissimae patriae meae, illustrarem. Non igitur miraberis, beneuole lector, quando hanc, quam tibi iam trado, EITZENII uitam, non ultra annum clɔ lɔ LXII, quo ipso Praesul hic, a nobis in Holsatiam discessit, continuatam uides. Tantam enim mihi supereſſe deprehendo in Superintendentium reliquorum uitis scribendis, rerum copiam, ut in Holsatica EITZENII negotia non potuerim descendere, sed filum potius, quum ad ea deuenirem, abrumpendum mihi fuerit. Accedit alia ratio non minoris

momenti, ex qua hoc, quod feci, ſatis maturo, neque improbando conſilio, a me factum eſſe intelliges. Memorabilis admodum uitae EITZENII periodus eſt illud tempus, in quo Formula Concordiae conſcripta, & a quam plurimis eccleſiis, doctrinam, LVTHERI miniſterio repurgatam profitentibus, recepta eſt. Inuitabatur etiam EITZENIVS a Theologis, quibus id demandatum erat, ad ſubſcriptionem eius, & ut Principi ſuo eam commendaret, rogabatur. Sic enim futurum recte arbitrabantur, ut omnes uerbi Diuini miniſtri, qui in eccleſiis Holſaticis & Ducatus Slesuicenſis docebant, ei ſubſcriberent. Verum EITZENIVS nullis perſuaſionibus, adhortationibus, argumentis adduci potuit, ut id faceret. Infenſum ſemper tam in Concordiae Formulam quam in eius auctores usque ad mortem ſuam prodebat animum. Non tantum ſemper a ſubſcribendo huic libro alienus permanſit, ſed etiam errores in eo propalari aſſeruit. Hinc aliis, quo minus ei ſubſcriberent, diſſuaſit: Et ipſi potiſſimum adſcribendum eſt, quod Formula Concordiae, neque in Holſatia, neque in Dania fuerit recepta. Quaeri hac occaſione ſolet, quid hac in parte de EITZENIO ſit iudicandum? quo animo id fecerit? num fortaſſis a doctrina puriori defecerit, & Caluinianis fuerit aſſentatus? aut num, non obſtante, quod Concordiae Formulae infenſus fuit, ſtrenuus tamen doctrinae purioris uindex & defenſor permanſerit? Hic ſane

nihil

nihil temere definiendum erat, ne ab una parte, famae Viri, in aliis, de coetu ſacro optime meriti, detraheretur; ab altera autem, ne immatura, & nulli ſolido fundamento innixa ſententia, ueritas laederetur. Hinc conquirenda erant omnia, quae haberi poterant, de hoc argumento ab EITZENIO ſcripta, omnes tam ab eo ad alios, quam aliorum ad eum datae litterae, conſilia, & rationes, quibus adductus tanta pertinacia Formulae Concordiae, ab Holſaticis eccleſiis recipiendae obſtiterit. Feci id, ſcripſi ad illos, apud quos haec latere intellexeram, tentaui num horum ſubſidiorum compos fieri poſſem. Salutandus inprimis a me erat Vir nobiliſſimus atque doctiſſimus, OLAVS HENRICVS MOLLERVS, beati IOANNIS MOLLERI, Flensburgenſis olim Rectoris celeberrimi, filius digniſſimus, qui iam Hafniae degit, & de cuius eruditione cum diligentia ſingulari coniuncta magna ſibi litteratus orbis promittere poteſt. Poſſidet is ingentem numerum ſcriptorum ineditorum, quae ad hoc argumentum illuſtrandum quam maxime faciunt. (*) Impetraui etiam ab eo unum

(*) Vt de pretio horum ineditorum Lector iudicare poſſit, indicem eorum, quae MOLLERVS aſſeruat, omiſſis iis, quae iam Parti IV. *Bibliothecae Danicae* inſerta ſunt, dabo.

I. BARTHOLOM. MEIERI, Superintend. Caſſell. litterae ad EITZENIVM de Formula Concordiae 1578. d. 16. Ian.

II. Ej. ad eundem de colloquio Langenſalz. & Tangermundenſi 1578.

III. Ej. ad eundem de agitatis in conuentu Langenſalz. in Electoratu Sax. &c. 1578.

& alterum ſcriptum, quod gratus depraedico. Verum, quo minus omnem apparatum ſuum mecum communicaret, obſtitit conſilium, quod ipſe ceperat, haec edendi, & commentationem de *fatis Formulae Concordiae in Ducatibus Slesuicenſi & Holſatico*

IV. Ej. tres aliae eodem anno ad EITZENIVM.

V. Ej. ad EITZENIVM, in quibus eum rogat, ut conuentui, contra formulam Concordiae inſtituendo, intereſſe uelit. Idibus Ianuarii A. 1579.

VI. Ej. litterae ad EITZENIVM, quibus ad deliberationem cum Theologis Haſſiacis & Anhaltinis, de libro Concordiae impediendo, inſtituendam, inuitatur VIII. Idus Februarii A. 1579.

VII. Landgraf Wilhelms Brief an EITZENIVM d. 6. Februarii 1579.

VIII. Ej. Brief an Hertzog Adolf, darin er erſucht wird, ihm den D. von Eitzen zu einer Theologiſchen Berathſchlagung auf eine kurtze Zeit zu überlaſſen, den 6. Febr. 1579.

IX. Ej. Brief an EITZENIVM, darin er ihm von dem, was auf der Zuſammenkunft der Theologen zu Caſſel beſchloſſen worden, Nachricht giebt, und ermahnet den König von Dännemarck und Hertzog zu Holſtein dahin zu vermögen, den Churfürſten zu Sachſen und Brandenburg des Concordien-Wercks wegen ſchriftliche Vorſtellung zu thun 12 Martii 1579. nebſt einer Beylage.

X. EITZENII abermahlige Erinnerung der Urſachen, warum das Torgiſche Bedencken und emendirte Bergiſche Buch zu unterſchreiben billig und Chriſtlich ſoll geweigert werden 1579.

XI. EITZENII Supplication an den Churfürſten zu Sachſen, darin er die Publication der Formulae Conc. nachdrücklich widerräth d. 28. Iun. 1579.

XII. Landgraf Wilhelms Schreiben an EITZENIVM, darin er ihm berichtet, daß der Churfürſt Pfaltzgraf das Concordien-Werck beliebet, nebſt Uberſchickung der Vorrede darüber er ein Bedencken begehret d. 9. Sept. 1579.

XIII. Iudicium EITZENII ad Landgrauium WILHELMVM de praefat. Form. Conc. d. X. Octobr. 1579.

XIV. Landgraf Wilhelms Schreiben an EITZENIVM, von der drey weltlichen Churfürſten Werbung des Concordien-Wercks halber 16. Nov. 1579.

Holſatico conſcribendi. His igitur ſubſidiis, quibus tamen carere non poteram, quum deſtitutus eſſem, nemo aequus rerum aeſtimator, id mihi uitio uertet, quod recenſionem & expoſitionem iſtius uitae EITZENIANAE periodi, in quam negotia

XV. Bedencken der Superintendenten und Prediger Göttliches Wortes in dem Fürſtenthum Holſtein unter Hertzog Adolf geſeſſen, auf das Bergiſche Concordien-Buch, Schleswig 1579. d. 13. Dec. Huius ſcripti, quod in hoc argumento praecipuum eſt, ſatis ſpiſſi auctor eſt EITZENIVS, cui XVIII. Theologi ſubſcripſerunt.

XVI. EITZENII Brief an Landgraf Wilhelm, darin er die Propoſition in dem Bedencken der Anhaltiſchen Theologen über die F. C. quod humanitas Chriſti ſola ſit paſſa verwirft, und von dem Colloquio Slesuicenſi wegen der Form. Concord. Nachricht giebt 1579. d. 3. Octobr.

XVII. Ej. epiſtola ad eundem d. 30. Dec. 1579.

XVIII. Litterae ſedecim MEYERI atque RVNGII ad EITZENIVM, huiusque ad illos, quarum argumentum Concordiae negotium eſt.

XIX. EITZENII kurtzes Verzeichnis etlicher bedencklichen Stellen im Concordien-Buch 1582. d. 11. Martii.

XX. Ej. Unterſcheid der Lehre im Artickel vom Abendmahl zwiſchen den Calviniſten und Brentianern und rechtſchafnen Lutheriſchen.

XXI. IAC. RVNGII ad EITZENIVM epiſtola, qua eccleſiarum Holſatiae & Danicarum de F. C. ſententiam ſibi exponi petit 1581. Dominica Quaſimodogeniti.

XXII. EITZENII epiſtola ad RVNGIVM reſponſoria, qua publicationem F. C. dolet, RVNGII in ea repudianda conſtantiam laudat, Synodum optat, & eccleſias Holſaticas ab ea alienas praedicat.

XXIII. HELFRICI HERDENII & AEGIDII HVNNII epiſtola ad EITZENIVM, qua ſententiam ſuam de Perſona Chriſti &c. breuiter exponunt, & paradoxa ſibi per calumniam adſcripta declinant 1583. Dom. Laetare.

XXIV. EITZENII epiſtola ad eosdem, qua ad priorem reſpondet, eos acerbe ſatis perſtringit, ſuaque contra Caluinianos merita depraedicat.

Omitto alias epiſtolas quam plurimas huc ſpectantes, quarum recenſione Lectori moleſtus eſſe nolo, quas omnes laudatus MOLLERVS aſſeruat.

gotia eius Holſatica, & deliberationes de Formula Concordiae inſtitutae cadunt, iſtiusmodi Viro, qui his omnibus inſtructus eſt, relinquendam eſſe putauerim. His praemiſſis, de EITZENIO quaedam amplius praefanda ſunt. Praeter Viros Celeberrimos IOANNEM MOLLERVM & GEORGIVM GOTHOFREDVM KVSTERVM neminem noui, qui ex inſtituto de EITZENIO differere, eiusque uitam atque ſcripta cum cura recenſere fuerit ſollicitus. Ille fecit id in *Cimbria litterata* Tom. III. p. 227. ad pag. 236. quam propediem typis expreſſam exſpectamus; hic in *Memorabilibus Colonienſibus*, *Specimine* II. p. 21. ad pag. 31. Vterque mihi non ſpicilegium, ſed largam meſſem reliquit, de EITZENII negotiis Hamburgenſibus uberius & explicatius agendi. Quae enim Viri hi, quos ueneror, uel tribus attingunt uerbis, ea ego, pro ratione inſtituti mei, ex monumentis editis & ineditis ita illuſtraui, ut, ſi quis mea cum iis, quae illi ſcripſerunt, contulerit, ingens, quod ſe uel primo intuitu oculis offert, diſcrimen, facile animaduerterit. Idem etiam cenſendum eſt de iis, quae Vir Celeb. ADAMVS HENRICVS LACKMANNVS, academiae Kilonienſis ornamentum, in Introd. ad Hiſtoriam Slesuico-Holſaticam, quam germanico idiomate conſcripſit P. I. p. 546. & P. II. p. 153 ſqq. de EITZENII uita atque ſcriptis retulit. Alios uero auctores, qui rebus ab EITZENIO geſtis, lucem affuderunt, in recenſione uitae eius, eo, quo debui, candore, excitaui.

excitaui. Non quidem omnes, qui adduci potuiſſent, longa ſerie, a me ſunt nominati. Praecipuorum tantum rationem habui, quos, ſi lector euoluerit, alios ſimul, idem argumentum illuſtrantes inueniet. Parcus etiam fui in notandis erroribus, ab aliis commiſſis. Qui enim exploratione inſtituta, ea, quae ſcripſi, uera eſſe deprehendit, eadem opera illos, a quibus diſſentio, erraſſe intelliget. Ante menſes aliquot, quum iam nouem plagulae huius memoriae EITZENIANAE impreſſae eſſent, Hafnia mihi mittebantur a Clar. MOLLERO, ea, quae beatus Pater ipſius in *Cimbria litterata* de EI'ΓZENII uita & ſcriptis conſignauerat. Sera quidem haec erant, uerum pergrata. Confirmabant me ſcilicet in iis, quae ſcripſeram, nihilque reperiebam, quod uel meis addere, uel in iis, quae ſcripſeram mutare, neceſſum fuerit. Diſſentimus tamen in anno definiendo, quo EITZENIVS natus eſt. MOLLERVS perhibet, natum eum eſſe anno clↄ lↄ XXII. Mihi uero annum clↄ lↄ XXI. pro natali eius habendum eſſe, eſt perſuaſum. Vtrique & beatus MOLLERVS & ego innitimur ipſius EITZENII teſtimonio. Fundamentum meae ſententiae expoſui in hac Memoria EITZENII §. III. pag. 5. Neque ſcio, quid illi obuerti poſſit, praeſertim, quum illa EITZENII uerba, quibus MOLLERVS ſuam ſententiam muniri putat, ad meam ſtabiliendam apprime faciant. MOLLERVS enim pro ſua ſententia adducit, quod EITZE-

NIVS

PRAEFATIO.

NIVS in epiſtola ad IOANNEM PISTORIVM anno clɔ lɔ XCI. decurrente ſcripta, hunc annum *decimum aetatis ſuae climacte-ricum* appellat. Quis haec uerba conſiderans non facile anim-aduertit in meae ſententiae praeſidium illa ſcripta eſſe? Decem anni climacterici conficiunt annos ſeptuaginta. Hos ſi anno clɔ lɔ XCI. demo, apparet, annum natalem EITZENII non in annum clɔ lɔ XXII, ut MOLLERVS arbitratur, ſed in annum clɔ lɔ XXI. quae mea eſt ſententia, cadere. In Memoria EITZENII §. VI. p. 8. inquiro, an EITZENIVS Doctoris publici munere in academia Roſtochienſi functus fuerit? & p. 9. ſubductis rationibus colligo, id mihi admodum ueriſimile uideri. Non tantum me in iis, quae aſſerui, confirmat laudatus MOLLERVS, ſed etiam rem extra dubium ponit. Excitat enim teſtem WOLFG. IVSTVM in *Hiſtoria Academiarum Europae & Virorum in iis celebrium*, anno clɔ lɔ LIV. in 8. edita num. LXVI. Agit auctor loco citato de Profeſſoribus academiae Roſtochienſis, & ita ſcribit: *In artibus & linguis Profeſſores illuſtres uiguerunt, & quidam adhuc magna laude ibi docent, utpote IOANNES NOVIOMAGVS, Vir totius Philoſophiae peritiſſimus, Licentiatus Iuris, ARNOLDVS BVRENIVS, Oratoriae Profeſſor clariſſimus, huius academiae ornatiſſimum ornamentum, HENRICVS GVELPHVS, Lingenſis, Mathematicus, CONRADVS PIGELIVS, Lector Phyſicae,* PAVLVS AB EITZEN, *Hamburgenſis, Profeſſor dialecticae,* cetera.

Para-

PRAEFATIO.

Paragrapho XVII. p. 49. ſqq. de uita & fatis IOACHIMI MAGDEBVRGII, Verbi Diuini ad Diui Petri aedem apud Hamburgenſes Miniſtri, egi, eumque ob ſcriptum quoddam in famam MELANCHTHONIS iniurium, quod *Aſinarium* ſiue den Eſeltreiber inſcripſit, ab officio, quo in hac ciuitate functus eſt, remotum eſſe, aſſerui. Haec quae ibi ſcripſi, quum iam typis excuſa eſſent, accepi a Clar. OLAO HENRICO MOLLERO tres epiſtolas MELANCHTHONIS hactenus inéditas, quarum altera ad EITZENIVM noſtrum; altera ad HERMANNVM WETKENIVM, Senatorem tum & Praetorem Hamburgenſem; tertia ad MATTHAEVM DELIVM, Rectorem Scholae Hamburgenſis, ſingulae Kalendis Februarii datae erant. In unaquaque harum inimicorum ſuorum mentionem iniicit MELANCHTHON, qui de ſe opprimendo cogitent. In litteris ad WETKENIVM haec occurrunt: *Oppugnor, ut uidetis quorundam odiis, qui cur tantopere me oderint, non ſcio, quum nunquam eos laeſerim, officia aliqua memini. Sed uobis & aliis bonis Viris gratiam habeo, quorum ſunt aequiora iudicia.* Ex litteris uero eiusdem ad EITZENIVM datis apparet, EITZENIVM, quae MAGDEBVRGIVS contra ipſum tentauerat, & quod ipſe prohibitionem ſcripti in famam MELANCHTHONIS iniurii a Magiſtratu flagitaſſet, & impetraſſet MELANCHTHONI perſcripſiſſe. Hinc in hac epiſtola ſua reſponſoria MELANCHTHON & Senatum Ham-

burgenſem & EITZENIVM laudat, & utrique pro propenſo in ſe animo gratias perſoluit. Ita ſcilicet ad EITZENIVM ſcribit: *Profiteor me harum eccleſiarum ciuem eſſe, & Filium Dei oro, ut eas ſeruet & gubernet, & me in iis. Et ne magis lacerarentur eius uulnera, minus reſpondi inimicis, quos uideo implacabiles eſſe. Repreſſi etiam alios & reprimam, ubicunque potero, maledica ſcripta edituros. Et Magiſtratus in utraque parte optarim uigilantiores & ſeueriores eſſe, in prohibendis editionibus, quae ſunt diſſidiorum faces, nec dubium eſt, pertinere hanc curam ad gubernatores.* Quare & honeſtiſſimi Senatus ueſtri, & tuam grauitatem laudo, & gratiam uobis habeo, quod uoluntatem optimam in hac re oſtenderitis. Sub finem epiſtolae ſcribit: *Amicitiam inter nos uolo perpetuam eſſe, qua etiam in coeleſti conſuetudine fruemur.* De eo etiam monendus es, lector humaniſſime, quod non omnia, quae EITZENII temporibus in coetu ſacro Hamburgenſi memoratu digna contigerunt, narrauerim. Ea enim quae WESTPHALVM propius attingunt, ad eius uitae deſcriptionem, quam a me, dante Deo exſpectabis reſeruaui. Sic hanc ob cauſam, nulla exulum Anglicanorum, qui etiam ad nos ſe anno clↃ lↃ LIV. recipiebant, facta eſt mentio, neque mandati, quod contra Sacramentarios iam anno clↃ lↃ XXXV. eſt promulgatum, ſed anno clↃ lↃ LIV. renouatum eſt. Ea quoque ſilentio praeterii, quae EITZENIVS pro WESTPHALI innocentia oppoſuit CALVINI calumniis, & maledicis con-

conuiciis, quae in WESTPHALVM, inflatis buccis, euomuit. De his omnibus in memoria WESTPHALI fusius exponam. De quo Viro, quod longe plura dicere possim, quam quidem alii de illo hactenus retulerunt, uel inde intelliges, quod ante semestre, in bibliotheca nostra, quae a Diua CATHARINA nomen habet, ingens epistolarum, ad WESTPHALVM scriptarum, apparatus, hactenus in scrinio reconditus, & in squalore sepultus, nemini quoque antea cognitus, repertus fuerit. Continet ille propemodum quadringentas epistolas, praestantissimorum illius aeui Theologorum Lutheranorum, aliorumque ad WESTPHALVM autographas, & huc dum ineditas. Superbit hic thesaurus epistolis IOANNIS AVRIFABRI, CASPARI AQVILAE, PETRI BOKELMANNI, ALEXANDRI BRVCHSALII, PETRI BRVBACHII, bipliopolae Francofurtensis non incelebris, MART. CHEMNITII, DAV. CHYTRAEI, Io. DRACONITIS, Io. FREDERI, cuius plures quadraginta adsunt, MATTH. FLACII Illyrici, MART. FABRI, NIC. GALLI, HERM. HAMELMANNI, LVC. LOSSII, fratrum MAGDEBVRGIORVM, IOACHIMI & IOANNIS, IOACH. MOLLERI, ANDR. POVCHENII, CONR. SCHLVSSELBVRGII, CYRIACI SPANGENBERGII, Io. TIMANNI, Amsterdami, Io. WIGANDI, aliorumque. Ex his multa depromi possunt, ad illustrandam illius temporis historiam admodum opportuna. Si qui igitur sunt inter Viros eruditos,

qui epiſtolas WESTPHALI ad alios datas aſſeruant, rogandi illi a me ſunt, ut harum copiam mihi faciant. His precibus ſi locum dederint, non tantum magno me mactabunt beneficio, ſed etiam certi eſſe poſſunt, ſe hoc quidquid eſt officii, non in ingratum collaturos eſſe, qui potius omnem bene uiciſſim de illis merendi occaſionem prompto & hilari animo arripiam. Tandem fautoribus atque amicis meis, a quibus ſubſidia ad hanc qualemcunque commentationem conficiendam nactus ſum, & inter illos inprimis illuſtri REINBOTHIO, nobiliſſimo atque Iurisconſultiſſimo MATTHIAE ARNOLDO WILCKENIO, atque Clariſſimo OLAO HENRICO MOLLERO, gratias, quas poſſum, maximas, perſoluo.

MEMORIA PAVLI AB EITZEN INSTAVRATA.

§. I.

Magna est EITZENIANI nominis apud Hamburgenses gloria atque celebritas. Ornauerunt enim hanc ciuitatem EITZENII Consules (1) Superintendens, Senatores, Duo-

(1) Rerum Hamburgensium peritis notum est, quos hodie *Consules* appellamus, olim dictos fuisse *Pro-Consules* quasi Proto-Consules, qui inter ceteros Consules (ita enim uniuersos Senatores nuncupare tunc in more positum fuit) dignitate & auctoritate eminerent. Verum iam ultra centum annos ille uocabuli usus propemodum exoleuit. Hinc hodiernam loquendi rationem secutus sum & Consules a Senatoribus distinxi. V. FABRICII *Memor. Hamb.* Vol. I. p. 128.

Duodecimuiri, (1) mercatores florentiſſimi, ut uere ſcripſerit nonnemo; (2) EITZENIANO *nomine Hamburgum pridem nihil habuiſſe celebratius.*

§. II.

Generoſa EITZENIANORVM ſtirps in duos diffuſa eſt ramos, quorum alter pro inſigni habuit *urſum* alter *rutam.* (3) De priori conſtat, quod ſeculo decimo quarto & temporibus quae illud antecedunt Luneburgi ſedem fixam habuerit (4) Anno uero M CCCC XL. IOANNES AB EITZEN Hamburgum ibidem commorandi cauſa ſe conferebat. (5) Cuius filius MEINO anno clɔ CCCC LXIV. in Senatum adſcitus eſt. (6) Verum & ſeculo decimo ſexto MEINO quidam EITZENIVS ad Senatoriam dignitatem anno nempe clɔ Iɔ XXIX. eſt euectus, qui diem ſupremum obiit anno clɔ Iɔ LIX. Quem PAVLI noſtri, cuius uitam iam conſignare conſtitutum habeo, Genitorem fuiſſe hactenus iudicaui. Verum ex ſchedis Magnifici quondam Conſulis noſtri GERHARDI SCHROEDERI didici MEINONEM hunc EITZENIVM, cum utraque quam habuit coniuge, uel nullos procreaſſe liberos, uel nullos uitae ſuae ſuperſtites reliquiſſe, eiusque fortunas, poſt eius eiusque Coniugis ANNAE STATIES obitum, ad utrosque agnatos perue-

(1) Sic dicebantur olim Tribuni plebis die Ober-Alten, quorum ordo A. clɔ Iɔ XXVIII. a S.P.Q.H. eſt inſtitutus, antequam tria membra quintae parochiae ipſis adiuncta eſſent. Quod factum eſt anno clɔ Iɔ C LXXXV d. XI Maii. Ab hoc tempore uero Quindecimuiri uocati ſunt. V. laudatus FABRICIVS l. c. Vol. II. p. 130.

(2) apud FABRICIVM l. c. p. 795.

(3) Conf. omnino beati Conſulis GERHARDI SCHROEDERI *faſti Pro-Conſulares & Conſulares Hamburgenſes*, laudati in *Ephemeridibus litterariis Pariſienſibus* anni clɔ Iɔ CC IX menſe Aprili p. 217.

(4) V. BVTTNERI Lüneburgiſche Patricien-Familien im Anhange.

(5) Scio hoc ex genealogia ſtirpis EITZENIANAE MSta quae etiam a celebratiſſimo Conſule SCHROEDERO confecta eſt.

(6) V. *Faſtos Pro-Conſulares & Conſulares.*

peruenisse. (1) Habuit uero is fratrem DIETHERICVM, & hunc PAVLI nostri patrem fuisse penes me extra dubium positum est. (2) Ex uerbis enim binorum, quae adduxi, documentorum apparet, DIETHERICVM EITZENIVM non solum MEINONIS Se-

 natoris

(1) Ex *libro Contractuum* auf der Schreiberey anno cIↃ IↃ LXXIII.

Per obitum Domini MEINONIS AB EITZEN *Senatoris &* ANNAE *eius Coniugis deuolutae sunt eius haereditates ad personas infra nominatas: Videlicet ad Dominum* PAVLVM AB EITZEN *Doctorem & Superintendentem ecclesiarum quae sunt in Ducatu Holsatiae*, MEINONEM, IOANNEM & DIRICVM condictos AB EITZEN fratres, CHRISTOPHORVM EIKEN, IOACHIMVM EIKEN, ANNAM IOANNIS SESEMAN, EDDELEN IOACHIMI WARENDORP, & MAGDALENAM IOANNIS WICKRADT *legitimas haeredes nempe ex linea masculina.* In sequentibus nominantur haeredes ex linea foeminina.

(2) *Extractus libri Memorandorum* A. cIↃ IↃ LXXXVIII.

Tho weitende, dat der Erbar Mein von Eitzen & Consortes haben vor E. E. Rath producirt einen Pergamenen versegelden Breff, flitig biddende, dat desülvige in disser Stadt Denckel-Buch müge eingeschriven werden, ludende von Wort to Wort, wo folget:

Jck Henricus Kop M. Prediger Göttlikes Wordes zu St. Marien Magdalenen in der Stadt Hamburg bekenne hiemit vor idermenniglichen dieses offenen Briefes ansichtigern vor mich und meine liebe Hauß-Frawen Annen, seeligen Johann von Eitzen nachgelassenen Tochter, nachdem ich, bey meinen freundlichen lieben Herren Schwägern, Herrn Pawel von Eitzen der heiligen Schrifft *Doctorn* dem Eltern, auch Herrn Pawel von Eitzen der Rechten *Doctorn* dem Jüngern, Herrn Didrich von Eitzen Rathmann, und Meino von Eitzen, auch Berend Rulow, Michael Rhedern und Ioachim Langermann, Bürgern der Stadt Hamburg, gütliche Anforderung gethan, wegen gedachter meinen Hauß-Frawen dasjenige gefolget würde, was ihr so wol aus ihres seeligen Groß-Vaters Bruders Herrn Mein von Eitzen Radt-Mannes, als auch aus ihres Groß-Vaters seeliger Dirk von Eitzen, wie auch aus Daniel und Dirk von Eitzen Gebrüdern, und Sillien Pawelsen, alle sel. Nachlasse und Braw Hause in St. Catharinen-Strasse belegen, gebühren mögte ꝛc.

natoris fratrem, ſed IOANNEM etiam ANNAE KOPIAE Patrem a DIETHERICO hoc genitum fuiſſe. Quum uero ex documento priori a me exhibito conſtet, PAVLVM Superintendentem etiam fratrem IOANNEM dictum habuiſſe, & ex documento poſteriori numero (2) IOANNEM EITZENIVM ANNAE KOPIAE Patrem cum PAVLO Superintendente, aliisque eius fratribus ad haereditatem MEINONIS Senatoris admiſſum fuiſſe, in quo documento, alii fratres PAVLI omiſſo hoc IOANNE, (quoniam ipſo defuncto, ANNA KOPIA Filia eius, iure haereditario, cum aliis beati Patris fratribus frueretur,) nominantur, res quidem, ſi quid iudico certa & indubitata eſt hunc IOANNEM a DIETHERICO genitum PAVLI Superintendentis fratrem fuiſſe. Ex quo ſequitur DIETHERICVM omnium EITZENIANORVM in documento priori nominatorum & quod demonſtrandum mihi ſumſi, etiam PAVLI Superintendentis Patrem fuiſſe.

§. III.

Natum eum eſſe referunt, qui uitam Praeſulis noſtri conſignarunt Hamburgi anno cIↃ IↃ XXI. Perhibent id ipſum IOANNES MOLLERVS (1) Auctores Lexici hiſtorici uniuerſalis Lipſienſis, GEORGIVS GOTHOFREDVS KVSTERVS (2) alii. (3) Verum optarem Viros hos celeberrimos ea quae ante tempora ſua geſta ſunt, teſtimoniis fide dignis munire, quod hiſtorici officium requirit, aut etiam dubitanter de iis rebus, quae certo explorata non habent loqui. Ego certe omni opera adhibita, nec uolam nec ueſtigium neque in libris EITZENII quos perluſtraui & legi, neque in epiſtolis ab illo ſcriptis, neque in praefationibus eius libris praemiſſis, deprehendere potui, ex quo annus natiuitatis eius certo definiri potuiſſet. Putabam igitur neceſſitatem mihi eſſe impoſitam

(1) in *Iſag. ad hiſt. Cherſ. Cimbr.* P. II. p. 177.
(2) in *Memorabilibus Colon.* p. 22.
(3) Auctores *diarii Roſtochienſis* cui titulus: Etwas von Roſtockiſchen Gelehrten Sachen für gute Freunde A. cIↃ IↃ cc xxxix d. 7. September p. 568. & IOANNES BACMEISTERVS *in Actis Philippicis* p. 42.

tam ut communi traditioni, quod aegre facere ſoleo, ſubſcribendum mihi eſſet. Verum opportune ab ampliſſimo REINBOTHIO, qui Potentiſſimo Danorum Regi a Conſiliis iuſtitiae eſt, cum aliis quae mihi pergrata fuerunt, nactus ſum ſchedulam, EITZENII manu ſcriptam, in qua, poſtquam albo cuiusdam ex IOANNIS VIII. capite quaedam inſeruiſſet, his uerbis nomen & aetatem ſuam in ſubſcriptione expreſſit: PAVLVS von EITZEN *D. Senior ſcripſit Slesuigae 22 Auguſti anno* 88, *aetatis anno* 67. (1) Hi ſexaginta ſeptem anni, ſi aerae octoginta octo annorum demantur, apparet annum natiuitatis EITZENII in annum cIↃ IↃ XXI. incidiſſe. Sic uero haec *πεϱίϛατις* certa & explorata eſt, neque ullum circa eam remanet dubium.

§. IV.

De ſcholis, quas EITZENIVS puer & iuuenis frequentauit nihil ſcio. Id uero exploratum habeo eum litteris elegantioribus bene tinctum ad academiam Vitebergenſem ſe contuliſſe, ibidemque LVTHERI atque MELANCHTHONIS inſtitutione inprimis uſum eſſe. Magno ſane etiam poſt fata eorum Duumuiros hos proſequebatur amore. Vtrumque ex uerbis iam excitandis apparet. *Ante aetatem reuerendi Patris & Prophetae* LVTHERI, inquit EITZENIVS, (2) *doctrina Euangelii tenebris obſcurata & quaſi ſepulta fuit. - - Quum uero Deus ſanctum Prophetam* LVTHERVM *repurgatorem doctrinae Chriſtianae a Papiſticis tenebris miſit, addidit ei ſanctum Collegam* PHILIPPVM MELANCHTHONEM, *quem omnes ſcholae Germa-*

(1) Haec erant quae EITZENIVS albo inſcripſerat: Io. 8. *Chriſtus dicit: Si uos manſeritis in ſermone meo diſcipuli mei eſtis & cognoſcetis ueritatem. Maneamus ergo per gratiam & auxilium Spiritus S. in ſermone Chriſti Qui enim recedit & non manet in doctrina Chriſti Deum non habet. Qui autem manet in doctrina Chriſti, is & Patrem & Filium habet inquit Ioannes.*

PAVLVS von EITZEN D. Senior,
ſcripſit Slesuigae 22 Auguſti anno 88
aetatis anno 67.

(2) in *dedicatione Partis primae Ethicae* A. 3.

nicae ſuum Praeceptorem reuerenter agnoſcunt. Et ipſorum coniunctis operis ad eccleſiae aedificationem uſus eſt, ut omni poſteritati in iſto illuſtri exemplo oſtenderet, quantum in tali eccleſiaſtica & ſcholaſtica unanimi coniunctione, utilitatis & momenti ſit poſitum. Ego de me affirmo quod quoties de illa conſenſione & unanimitate cogito, quam in eccleſia & ſchola Vuittenbergenſi inter illos ſanctos Patres & PRAECEPTORES eorumque alios Collegas tum EODEM LOCO tum in aliis eccleſiis & ſcholis VIDI & audiui, prae gaudio & prae triſtitia lachrymas effundam. Id teſtantur quoque Paſtores Hamburgenſes in litteris ad Theologos Vuittenbergenſes A. clɔ Iɔ LVI. datis in quibus EITZENIVM ſummos in Theologia honores ſibi expeturum ipſis commendant, in quibus haec occurrunt: *Fontes doctrinae in ueſtra ſchola percepit.* In hac ipſa quoque academia ſtudiis tanta diligentia incubuit, ut ſummos in Philoſophia honores ibi ſit conſecutus. Quum enim anno clɔ lɔ XLVI. Roſtochium tenderet, his honoribus academicis iam ornatus erat. Quod ex dicendis patebit.

§. V.

Neque eius dexteritas diu latuit. Fama enim eruditionis eius ad exteros quum peruenisſet, ad officia publica adminiſtranda ab iis uocatus eſt. Primum Gymnaſio Colonienſi ad Sueuum regendo eum admotum eſſe tradunt. Non tantum MOLLERVS id perhibet (1) uerum etiam MELCHIOR ADAMVS (2) quorum teſtimoniis alii idem referentes potiſſimum nituntur. MOLLERVS nullum aduocat aſſerti ſui teſtem. ADAMVS uero ABRAHAMI BVCHOLCERI uitam conſignans ſcribit: *Florebat tum temporis in Gymnaſio Colonienſi* PAVLVS AB EITZEN, *cui quum in diſciplinam traditus fuiſſet, diligenter & aſſidue diſcendo tantum aequalibus ſuis praeſtitit, ut in ſui admirationem & uitae & ingenii parentes conuerteret.* GEORGIVS GODOFREDVS KVSTERVS Vir Celeberrimus, qui eidem huic Gymnaſio praeeſt, & incunabula eius magna cura & ſolertia inueſtigauit (3) non quidem inficiatur EITZENIVM hanc ſcholam guber-

(1) *In Iſag. ad hiſt. Cherſ. Cimbr.* P. II. p. 177.
(2) in *uitis Theologorum* p. m. 262.
(3) in *Memorabilibus Colonienſibus* Berolini anno clɔ lɔ CC XXVII. in 4 editis.

gubernaſſe, quoniam ADAMVS id retulit. Verum nullum aliud firmius teſtimonium inuenit, quo haec narratio extra omne dubium poneretur. Scribit enim (1) PETRVM HAFFTITIVM primum eſſe, quem muneri Rectoris poſt ſacra repurgata admotum fuiſſe compererit. Addit: Eum quantum ſibi cognoſcere licuerit A. clɔ Iɔ LXXV. Gymnaſio huic praeſſe incepiſſe. Sic uero dubia & incerta manet narratio, EITZENIVM Rectorem huius Gymnaſii fuiſſe perhibens. Si enim uera ſunt quae ADAMVS ſcripſit, neceſſum eſt, EITZENIVM minimum triginta ante HAFFTITIVM annis, in hac ſchola publice docuiſſe, quemadmodum ex ſequenti uitae eius deſcriptione palam erit. Alio quidem loco ſcribit KVSTERVS (2) SEBASTIANVM BRVNNEMANNVM iam anno clɔ Iɔ LXVI. Gymnaſium hoc Rectoris officio ibi fungentem ornaſſe. Verum de EITZENIO altum eſt ſilentium. Vindicetur interim EITZENIVS Gymnaſio Colonienſi ab iis, quibus iſtiusmodi teſtimoniis multum roboris ineſſe uiſum eſt. Neque ego eorum relationem falſitatis conuincere poſſum, quum ex defectu documentorum publicorum ad rei ipſius, quae aſſeritur, negationem, non tuto liceat argumentari.

§. VI.

Si uerum eſt eum Gymnaſio Colonienſi praefuiſſe, paucis certe annis Rectoris officio ibi functus eſt. Anno enim clɔ Iɔ XLVI. Roſtochium tendebat, cuius academiae alumnis menſe Decembri adſcriptus eſt. Quod ex albo ciuium conſtat, in quo dicto anno & menſe, Rectore M. CONRADO PEGELIO eius nomen his uerbis expreſſum reperitur: *Paulus de Eytzen Hamburgenſ. Magiſter artium.* (3) Anno ſequenti XLVII & quemadmodum reuer. FRANC. ALBERT. AEPINVS coniicit (4) primo dicti anni ſemeſtri in ordinem Philoſo-

(1) l. c. Specimine I. p. 13.
(2) l. c. Specim. II. §. 3. p. 21.
(3) v. Etwas von Roſtockſchen Gelehrten Sachen das Dritte Jahr A. 1739. d. 7 Sept. p. 569. & KVSTERVS l. c. Specimine XVIII. p. 138.
(4) v. KVSTERVS l. c.

loſophorum huius academiae receptus eſt. Conſtat id ex libro qui huic ordini proprius eſt, in quo haec conſignata exſtant: *Anno* clɔ Iɔ XLVII. *Decano* M. ANDREA EGGERDES *receptus eſt M. Paulus von Eitzen Hamburgenſis Vittenbergae promotus.* (1) Haec ſunt quae de EITZENIO libri Roſtochienſis academiae publici tradunt. Quod uero ex his ſatis certo inferri poſſit eum Profeſſorem academiae Roſtochienſis fuiſſe, equidem aſſeuerare non audeo. Nihilominus tamen id perhibent IOANNES MOLLERVS (2) DAVID SCHVLTETVS (3) IOANNES BACMEISTERVS (4) & GEORGIVS GODOFREDVS KVSTERVS (5) qui uero ſola, quemadmodum fatetur, MOLLERI auctoritate nititur. Id quidem uerum eſt, formulam hanc: *receptus eſt*, eo tempore apud Roſtochienſes adhibitam fuiſſe, ſiue is, quem receptum eſſe libri academiae teſtantur Profeſſor fuerit, ſiue minus. Id tantum diſcrimen obſeruabatur, quod alii Magiſtri ſalario fruebantur, iique dicebantur *ſtipendiati*, alii *Non ſtipendiati*. *Stipendiati* concilio academico annumerabantur, quanquam negari nequit, nonnunquam etiam ex *Non-ſtipendiatis* quosdam Concilio academico interfuiſſe. (6) Nihil igitur certi ex his definiri poteſt, utrum EITZENIVS Doctor publicus Roſtochienſis ſiue *Magiſter ſtipendiatus* fuerit, an uero minus? Eadem eſt ſententia Celeberrimi KVSTERI ſcribentis (7) *Vtrum ex uerbis: RECEPTVS EST colligi queat, eum Doctoris munere fungi coepiſſe ego quidem non diſputo, nitor enim* MOLLERI *auctoritate.* Neque hanc πεῖρασιν extricare potuerunt eruditiſſimi Auctores diarii Roſtochienſis litterarii. (8) Propendent tamen in illorum ſententiam, EITZENIVM Profeſſorem Roſtochienſem fuiſſe aſſerentium, quibus

(1) v. *Diarium Roſtochienſe* antea citatum eodem anno p. 605. item KVSTERVS c. l.
(2) in *Iſag. ad hiſt. Cherſ. Cimbr.* P. II. p. 177.
(3) in dem von der Schulen zur Kirchen beruffenen Hamburg. Prediger p. 64.
(4) in *Actis Philippicis* p. 42.
(5) l. c. Specim. XVIII. p. 138. ſq.
(6) v. das Roſtockſche Etwas A. 1739. d. 21 Sept. p. 599. ſq.
(7) loc. cit.
(8) v. das Roſtockſche Etwas A. 1739. p. 570.

quibus & BACMEISTERVS adſtipulatur ſcribens: *Deinde* anno cIↃ IↃXXXI. (1) *Profeſſionem logices in academia Roſtochienſi primus omnium poſt reformationem a Senatu urbis academiae compatrono accepit.* Ex his peritus Lector quid hac in re certum, quid uero incertum ſit, facile iudicare poterit. Non tamen diffiteri poſſum & mihi ueriſimile uideri, quod EITZENIVS Doctor publicus in academia Roſtochienſi fuerit. Quum enim omnes id aſſerant & nemo neget; quum nulla in contrarium argumenta adſint, quibus id ualide impugnari poſſit; quum libri academiae publici id quodammodo innuant; quum rerum Roſtochienſium ſcientiſſimi Viri huic aſſerto non contradicant, ſed potius ad confirmandam hanc narrationem proni ſint (2) magnus ſane ueriſimilitudinis gradus ex his enaſcitur.

§. VII.

Quanquam autem apud exteros uerſabatur EITZENIVS non poterat tamen Ciuis ſui Hamburgum obliuiſci. Quum enim IOANNES FREDERVS, Lector hactenus Theologiae apud Hamburgenſes Secundarius, Stralſundiam ſe conferret, EITZENIVS noſter anno cIↃ IↃ XLVIII. circa feſtum IOANNIS, ab iis quibus id competebat in eius locum electus eſt. Annuit uocantium deſideriis EITZENIVS, & anno ſequenti cIↃ IↃ XLIX. die XIII. Maii in aede Sacra a Diua Maria Magdalena quae nomen olim ſortita eſt, una cum Paſtore illius aedis, M. IOACHIMO TEGENERO a ſummo Sacri ordinis Hamburgenſis Praeſule, Doctore IOANNE AEPINO ſolenni ritu huic officio initiatus eſt. (3) Quum eo ipſo tempore in

(1) Exſtant haec BACMEISTERI uerba in eius *Actis Philippicis* p. 42. annus tamen minus recte expreſſus eſt. Non enim poterat EITZENIVS cIↃ IↃ xxxi decem annorum puer Profeſſoris munere Roſtochii fungi. Si igitur uera ſunt, quae narrat Auctor, referenda hæc ſunt ad annum cIↃ IↃ XLVII.

(2) v. das Roſtockſche Etwas A. 1739. p. 608.

(3) in *Actis Miniſterii Hamb.* Tomo II haec annotata uideo. Idt ys ock in demſeluen Jahr 1548. vp Johanny M. PAVLVS von EITZEN thom Secundario

in eccleſia Hamburgenſi motus excitarentur, quibus AEPINVS ſua ſententia, deſcenſum Chriſti ad inferos ad ſtatum exinanitionis referens, anſam dederat, EITZENIVS a parte AEPINI ſtabat. (1) Et quum Hamburgenſes Theologi una cum Luneburgenſibus anno clɔ Iɔ LII errorem OSIANDRI adſtruentis, iuſtitiam quae nos iuſtos coram Deo reddit non eſſe a Chriſto Mediatore nobis acquiſitam, nobisque per fidem imputatam ſed eſſentialem Dei iuſtitiam, ſcripto publico oppugnarent, EITZENIVS cum aliis Sacri ordinis noſtri Viris illi ſubſcripſit. (2) Idem etiam ſe GEORGII MAIORIS errorem, bona opera eſſe neceſſaria ad ſalutem defendentis deteſtari, nominis ſui ſubſcriptione, ſubiuncta ſcripto ab Hamburgenſibus Theologis MAIORI oppoſito, palam fecit. (3)

§. VIII.

Non leuiter afflicta fuit Hamburgenſis eccleſia morte IOANNIS AEPINI, quae A clɔ Iɔ LIII. die XIII. Maii contigit. Quum enim exteri etiam qui eius animi dotes admirati ſunt, eam acerbe tulerint, quis non Hamburgenſes ipſos iacturam ſuam ſenſiſſe ſibi perſuaſum haberet? Quae de exteris AEPINI obitum lugentibus commemoraui, ex NICOLAI GALLI ad IOACHIMVM VVESTPHALVM epiſtola illuſtrari poſſunt, in qua ita ſcribit: *Graui nos dolore affecit, reuerendiſſ. ac doctiſſ. IOACHIME, mors Clariſſimi Viri, D. Doctoris AEPINI, cum propter multa excellentia ipſius dona, ac praecipue ſinceritatem & conſtantiam in confeſſione ac propugnatione uerae doctrinae, qua eum reliquae eccleſiae adhuc praelucere Deus uoluit in hac iudiciorum & animorum declinatione*

---

dario Lectore Theologiae angenamen worden. Conf. etiam STAPHORSTII Jährliche Geſtalt des Hamburgiſchen Predig-Amts p. 16. 17. nec non SCHVLTETI von der Schulen zur Kirchen beruffene Hamb. Prediger p. 64.

(1) Conf. quae de hac controuerſia expoſui in *Memoria* AEPINI *inſtaurata* p. 82-101.

(2) v. *Memoria* AEPINI *inſtaurata* §. XXXVIII. p. 105. ſqq. & STAPHORSTIVS in der Bekenntniß der Kirchen zu Hamburg p. 250.

(3) v. *Mem.* AEPINI p. 110. ſq. & STAPHORSTIVS, l. c. p. 236.

tione (1) cetera. Quum igitur ordo Sacer Hamburgenſis, AEPINO defuncto, Praeſule idoneo ornandus eſſet, Ampliſſimus reipublicae noſtrae Senatus eo ipſo anno de ſparta hac alii conferenda deliberauit. Conuocauit enim M. IOACHIMVS VVESTPHALVS A. cIↃ IↃ LIII. die x Nouembris alios Paſtores, ipſisque ex uoluntate Senatus ſignificauit, Senatum ualde optare ut eccleſiae noſtrae erudito & pio Praeſule proſpiciatur, & de huc aduocando ERASMO SARCERIO, quem Lipſia pulſum eſſe audiuerant, ſerio cogitare. Expetere tamen ſibi Paſtorum ſuorum iudicium atque ſententiam. Qui re conſiderata Senatui reſponderunt, ſe nihil habere quod in SARCERII doctrinae puritate & uitae integritate deſiderarent, rogare tamen ut Senatus perpenderet, SARCERIVM peregrino uti idiomate rudi plebi ignoto, & eſſe noſtrorum morum & hominum plane imperitum. Iſtiusmodi uero Viro gubernationem eccleſiae demandare ſibi uideri rem uariis incommodis obnoxiam. Qua Paſtorum Hamburgenſium ad Senatum reſponſione effectum eſt, ut SARCERIVS non fuerit uocatus, quum inſuper ex MATTHIAE FLACII ILLTRICI litteris haud multo poſt hanc deliberationem huc transmiſſis, Patres patriæ intelligerent, SARCERIVM Superintendentem Islebienſem electum eſſe. (2) Neſcio uero unde factum ſit, quod neque eo ipſo neque inſequenti anno, Superintendentis dignitas alii ſit collata. Fortaſſis inteſtinis inter Concionatores Hamburgenſes diſſidiis, haec remora adſcribenda eſt. Nondum enim ea animorum inter illos disiunctio, quam AEPINI in argumento de deſcenſu Chriſti ad inferos ſententia effecerat, penitus ſublata erat. Supererat enim ex AEPINI aduerſariis Paſtor Petrinus IOANNES HOEGELKE, HILARIVS etiam dictus, qui certamen etiam poſt obitum AEPINI renouare uel ſaltem famam & exiſtimationem ſuam tueri, & noua honorum acceſſione cauſae ſuae conſulere allaborabat. Hinc A. cIↃ IↃ LIV. Vuittenbergam proficiſcebatur eo fine & ſcopo, ut ſummos in Theologia honores

(1) Exſtat haec epiſtola in Cl. SEELENII *Philocalia epiſtolica* p. 28.
(2) Retuli haec ex *Actis Miniſterii* Tomo II.

ibi impetaret. (1) Quos tamen ordo Theologorum Vuittenbergenſium,

(1) In *Actis Miniſterii* haec configuata exſtant:

A. cIↃ IↃ LIV ſtatim poſt feſtum Paſchae profectus eſt hinc cum uxore, filio & filia M. IOANNES HOEGELKE, Paſtor Diui Petri, Vuittenbergam, multis neſcientibus quo animo profectionem iſtam ſuſcepiſſet: Tamen tandem emanauit ipſum petiturum gradum & inſignia Doctoratus. Praeceptores autem Vuittenbergenſes humaniter eum admonentes, ut ab inſtituto deſiſteret, quum neque ipſius uocatio hunc gradum requireret, neque Senatus id poſtularet, ut hoc titulo ornaretur, ſine gradu eum remiſerunt. Spargebantur tunc uaria, quae ab HILARIO eo rapiebantur, quod ipſe paſſus eſſet repulſam. Id quum male haberet hominem, ſimulat ſe litteris reuocari ad petitionem gradus. Dominus Conſul ALBERTVS HACKMANN una cum aliis Senatoribus ac aedilibus iſtius Parochiae diſſuaſerunt, ut intermiſſo itinere pateretur rem inter alios Paſtores & ſe componi. Nam putauit ſe gradu Doctoratus poſſe tueri exiſtimationem ſuam. Haec ex Actis Miniſterii.

Illuſtrari haec apprime poſſunt litteris IOANNIS BOTKERI ſiue BODEKERI Paſtoris ad Diui Iacobi aedem Hamburgenſis ad PAVLVM EBERVM Theologum Vuittenbergenſem datis, & inſertis Cl. SEELENII *Philocaliae epiſtolicae* p. 35 - 39. quas ut hic repetam inſtituti mei ratio requirit. Accipe igitur memoratas litteras, quae ita ſe habent:

IOAN. BOTKERI
ad
PAVLVM EBERVM

S. in Chriſto. Clariſſime Vir & Frater in Chriſto cariſſime. Pro noſtra conſuetudine & ratione negotii, ob quod

genſium, quum eosdem inuito Senatu Hamburgenſi eum ſibi expetere intelligeret, & ne iis ad nouas in urbe noſtra turbas excitandas

quod hic tabellarius iſtuc miſſus eſt, non potui non aliquid litterarum dare. Petiuerat M. Io. HOEGELKE a Veſtris Theologis Praeceptoribus noſtris ſumma reuerentia obſeruandis, gradum Doctoris in SS. Theologia, ſed disſuaſerant ei prudenter & recuſarant id Praeceptores, praeſertim, quia non inſtructus uenerat teſtimoniis Magiſtratus noſtri, & Eccleſiae noſtrae miniſtrorum. Animaduerterunt procul dubio licet non commonefacti, quid M. HOEGELKEN ſpectaret, in quem finem tam conſpicuo teſtimonio uti, uel potius abuti uellet. Sic reuerſus ad nos absque titulo, petiuit quidem teſtimonium a Senatu, ſed non litteram, qua teſtimonii uice uteretur impetrare potuit. Apud Iuratos templi ad S. Petrum quid, quibus modis obtinuerit, ipſe nouerit, & uos ibi fortaſſe cognoſcetis. Quum iterum ſe itineri uerſus Vuittenbergam accinxerat, grauiſſimis Senatus prudentiſſimi litteris reuocatus eſt ad amicam & Chriſtianam transactionem & compoſitionem negotii totius, quod multos iam annos inter Superintendentem & reliquos eccleſiae miniſtros, & ipſum, in controuerſiam offendiculis pleniſſimam, ut noſtratibus, imo etiam peregrinis perſpectum eſt, uenit. DD. Conſules eo abſente propoſuerunt nobis media, ipſi admodum tolerabilia, quae ad ipſorum flagitationem libenter, & cum gratiarum actione officioſa accepimus. Sed ipſe, licet ad mandatum Senatus reuerſus fuerit, tamen propoſita media & conditiones pertinaciter recipere recuſauit, nullumque DD. Coss. rogationibus, disſuaſionibus com-

tandas, abuteretur, ipſi impertiri denegauit. Conſtat id ipſum tam ex Actis Miniſterii, ad quae antea iam prouocaui, quam etiam

monefactionibus locum reliquit, & reuocationem inique tulit, quod Dnn. Coss. conſtanter de eo referunt. Haec dum Senatus cum eo agit, & poſthabita eius contumacia coram ipſis oſtenſa, nihilominus curam eccleſiae & ciuitatis agens, meditatur pacificationem & conciliationem Chriſtianam, & utrique parti commodam, praeter ipſorum ſpem & opinionem, contra ipſorum uoluntatem, non adhibito quoquam uel Conſulum uel Senatorum in conſilium, tertio accingit ſe itineri, & ad Vos reuertitur, petiturus gradum, licet, quum diſceſſit aliam profectionem aliudque negotium praetenderit. Haec, Vir Ornatiſſime, quo ſpectent, pro tua prudentia intelligis. Nos itaque commiſſae nobis eccleſiae curam & rationem agentes, & coram uidentes ex praeſenti eccleſiae, & ciuitatis noſtrae facie, ſi titulum, quem affectat, acceperit, in quem locum res eccleſiae & ciuitatis noſtrae deducerentur; haec cum Senatu deliberauimus, eoque conſentiente ſcripſimus ad Facultatem Theologicam Vniuerſitatis ueſtrae, & petimus, ut pro ſua prudentia, integritate & pio erga eccleſiam noſtram affectu, ipſi teſtimonium illud, quod petit ad turbandam eccleſiam, ad ſanctiſſimae memoriae D. AEPINVM, & reliquos miniſtros eccleſiae noſtrae omnes, partim in Chriſto mortuos, partim ſuperſtites, diffamandos, uexandos, & futilitatis, falſitatis & peruerſitatis condemnandos, ad ataxiam denique eccleſiae exitioſiſſimam ſuo exemplo introducendam & ſtabiliendam, denegent. Ad te igitur, pro fraterna noſtra coniunctio-

etiam ex PAVLI EBERI ad IOANNEM BOTKERVM epiſtola,(1) in qua eidem ita reſpondet: Se laetari litteras ipſius allatas eſſe, ut honeſta & neceſſaria cauſa daretur Theologis Vuittenbergenſibus, denegandi M. IOANNI petitionem ſuam, cui fortaſſis niſi tempeſtiue admoniti fuiſſent, locum dediſſent. Promittit, re adhuc omnino integra dimiſſum iri IOANNEM HILARIVM cum tali reſponſo: Vuittenbergae non ſolere promoueri quenquam ad ſummum in Theologia gradum, niſi afferat litteras hoc petentes praeſertim a Magiſtratu illius loci, ubi quis miniſtrum uerbi agit. Scriptae hae litterae reſponſoriae ſunt die VIII Nouembris A. cIↃ IↃ LIV. His igitur diſſenſionibus adſcribendum fortaſſis eſt, cur Ampliſſimus urbis noſtrae Senatus, de ſummo Praeſule in AEPINI locum conſtituendo noluerit definire. Poſtquam uero animos Concionatorum ſuorum hactenus concitatos iam ad compoſitionem pronos eſſe animaduerteret, A. cIↃ IↃ LV. die XVII Auguſti EITZENIVS

ad

---

iunctione haec ideo ſcribere uolui, quum ſciam, quae tua ſit prudentia, pietas, gratia apud D. Praeceptorem, & reliquos Theologiae Profeſſores, ut apud hos cauſam noſtram agas, & quibus poteris modis & mediis legitimis & aequis, noſtram eccleſiam & ciuitatem hoc graui onere, quod nobis ex iſta promotione imminet, leues ac liberes. Quod maiorem in modum a te petimus, & confidimus, ubi huius controuerſiae rationes ex litteris noſtris cognoueritis, Vos non leuiſſimo uerbo M. HILARII inſtitutum approbaturos, nedum iſto gradu confirmaturos. Si poſſes prae occupationibus, uelim te paucis me certiorem reddere apud hunc tabellarium de D. PHILIPPI & reliquorum Theologorum ſententia, quam in hoc eccleſiae noſtrae negotio ſecuti ſunt. Vale in Domino feliciter. Salutat te uetus amicus tuus D. M. VVESTPHALVS.

(1) Integram lege apud SEELENIVM in *Philocalia Epiſtolica* p. 39. ſqq.

ad hanc dignitatem euectus est. (1) Decem uero, post electum EITZENIVM in Superintendentem, elapsis diebus, nempe die XXVII Augusti, opera & auctoritate amplissimi Senatus, pax & Concordia inter Concionatores Hamburgenses stabilita est. (2) EITZENIVS uero die primo Septembris a M. IOANNE HOEGELKEN, Pastore Petrino, ad summi Praesulis munus obeundum, in aede sacra, quae a Diuo Petro nomen habet, inauguratus est. (3)

§. IX.

(1) Ex *Actis Minist.* Tomo II.

A. cIↃ IↃ LV. die XVII Augusti, quae fuit dies Sabbati post festum assumtionis Mariae, inclytus reipublicae nostrae Senatus, conuocatis quatuor Pastoribus, communibus suffragiis elegit in Superintendentem huius ecclesiae M. PAVLVM von EITZEN, Ciuem Hamburgensem, Secundarium Theologiae Lectorem. Idque postero die in templis publice est denunciatum.

(2) Ex *Actis Minist.* Tom. II.

A. cIↃ IↃ LV. die Martis post Bartholomaei, Senatus prudentissimus conuocatis in curiam Domino Superintendente M. PAVLO & quatuor Pastoribus, controuersiam illam inter Pastores & M. IO. HOEGELKEN diremit, & imposita sua auctoritate, prorsus sustulit & pacauit.

(3) l. c. p. 206.

A. cIↃ IↃ LV. die primo Septembris, quae erat XII Dominica post festum Trinitatis, M. PAVLVS von EITZEN electus Superintendens, institutus & inauguratus est in hoc suum munus, in aede D. Petri, a Pastore eius templi, M. IOANNE HOEGELKEN.

§. IX.

Primum, quod EITZENIO Superintendente memoratu dignum Hamburgi contigit, eſt, quod reipublicae noſtrae Senatus nouam Sacrorum ordinationem per Secretarium ſuum M. NICOLAVM VOGLERVM, Superintendenti EITZENIO tradi iuſſit. Quae etiam, eo ipſo die, A. cIↃ IↃ LVI. die XXVIII Aprilis, omnibus Sacrorum Praeconibus in monaſterio Mariae Magdalenae congregatis praelecta eſt. (1) Nouam hanc ordinationem dici puto reſpectu ueteris, quae auctore IOANNE BVGENHAGIO concinnata eſt, (2) quum haec noua IOANNEM AEPINVM primum Superintendentem Hamburgenſem, auctorem agnoſcat. (3) Cur autem haec AEPINI ordinatio eccleſiaſtica publica auctoritate Senatus, omnibus Concionatoribus Hamburgenſibus praelecta eſt? Me quidem iudice eum in finem, ut normae inſtar eſſet, ad quam in Sacris peragendis ſe componerent. Sic uero facile corruunt, quae a quibusdam tradi ſolent, aſſerentibus, AEPINVM quidem ordinationem ſuam conſignaſſe, nunquam uero eandem publica auctoritate receptam eſſe. (4)

§. X.

(1) Ex *Actis Min.* T. II. A. cIↃ IↃ LVI. d. 28 Aprilis am Dienſtage na Iubilate hefft ein Erbar Rath durch eren Secretarium M. Nicolaum Vogler dem Herrn Superintenden M. Paulo de Newe Kercken-Ordnung vöerandtworden laten, und iß de demſülven Dag in Jegenwart aller Paſtoren und Prediger in St. Marien Magdalenen-Saal geleſen worden.

(2) V. Mem. AEPINI inſt. p. 16.

(3) v. l. c. p. 101. ſqq. ubi corrigendum eſt, quando aſſeritur, AEPINVM hanc ordinationem A. cIↃ IↃ L. demum confeciſſe. Apparet enim ex Art. VII. receſſus de A. cIↃ IↃ XLVIII. iam tum ad eandem prouocatum eſſe.

(4) Non poſſum mihi temperare, quin ea, quae de hoc argumento Beatus Dominus Doctor VVILKENIVS, reipublicae noſtrae quondam Archiuarius, neruoſe diſputat, hic adducam. Communicauit ea mecum per beneuole ex MSto Filius eiusdem unicus, Vir Nobiliſſimus atque Iuris Conſultiſſimus Dominus MATTHIAS ARNOLDVS VVILCKENIVS I. V. D. patriarum uirtutum haeres. Ita uero

§. X.

Erat eo tempore more receptum, ut ſummi eccleſiarum Praeſules ſummo etiam honorum gradu in academiis obtinendo ornarentur. Huic etiam ſe attemperauit EITZENIVS noſter. Profectus

---

Vir laudatiſſimus in Vita AEPINI, quam elaborauit, ſcribit: Noch iſt mit wenigen zu bemercken, daß er (AEPINVS) eine Kirchen-Ordnung verfertiget, welche jedoch von vielen für ein bloſſes Concept wil angeſehen werden. Wir wollen unſere Meinung davon entdecken, und das übrige dem geneigten Leſer davon anheim ſtellen. Diejenigen nun, welche dieſelbe für ein bloßes Proiect halten, gründen ſich auf den Receſs de A. 1603, allwo nur allein der Bugenhagiſchen Kirchen-Ordnung gedacht wird. Weshalben denn daraus klärlich erſcheine, daß, wenn gleich vormahls des Aepini Kirchen-Ordnung ad praxin gebracht, dieſelbe doch dadurch, daß ſie in dem Receſs nicht mit ſpecificiret, nunmehro erloſchen, folglich nicht behalten worden. Was das erſte betrifft, ſo bezeuget der Receſs de A. 1548 ausdrücklich das Gegentheil, zumahl in deſſen VII Artikel enthalten, daß die loßfallende Lehne in denen Kirchſpiel-Kirchen und Capellen zur Vermehrung der Kirchen Miniſterii und der Schule zu St. Iohannis nöthig, nach des Herrn Doctor Ioannis Aepini Kirchen-Ordnung ſollten entlehnet werden. Welchem noch beytritt die Vereinigung der Leichnamb- und Kirch-Geſchwornen der Kirchen St. Petri de Anno 1639 d. 25 April, worin enthalten: Die bey Zeiten weiland Herrn Ioannis Aepini Theol. Doct. und Superintend. allhier A. 1556 reuidirte und bisher in obſeruantia gehaltene Kirchen-Ordnung. Nun iſt ferner bekannt aus dem Catalogo der Prediger zu Hamburg, daß ums Jahr 1556. d. 28 April. am Dienſtage nach Iubilate von E. E. Rath durch ihren Secretarium Herrn Niclas Vogler, Lic. dem damahligen Herrn Superintendenten Paulo ab Eitzen, die Kirchen-Ordnung übergeben worden, welche darauf allen Paſtoribus und Predigern auf Marien Magdalenen-Kirchen-Saal fürgeleſen. Daß nun dieſes des Aepini Kirchen-Ordnung geweſen, könte erſtlich aus der rubric: Io. Aepini Theol. D. & Superint. Kercken-Ordnung tho Hamborch von A. 1556 geſchloſſen werden. Denn daß damahls Aepinus dieſelbe nicht erſt gemacht, erhellet unter andern daraus, daß er der Zeit ſchon tod geweſen. Zum andern finde in meinem exemplari beygeſchrieben, daß dieſelbe A. 1621 wäre reuidiret, welches denn auch drittens abermahls in citirter Vereinigung geſchehen, auch zugleich behauptet wird, daß

eben

Profectus enim est hoc ipso anno cIↃ IↃ LVI. d. IV Maii Vuittenbergam, honores hos sibi, ut par erat, ob ordine Theologorum expetiturus, & impetraturus. Comitem itineris habuit FRANCISCVM RODEVVOLT, Physicum Hamburgensem, qui in Actis Ministerii FRANCISCVS STLVIVS uocatur, (1) permutato scilicet Germanico

eben diese A. 1556. reuidiret. Auf den andern Einwurf aber wäre zu versetzen, daß da A. 1603 nur hauptsächlich der Receſs von A. 1529. nebst denen drey vorhergehenden reuidiret, man vielleicht für überflüßig angesehen, diese Ordnung mit zu inseriren, zumahl sie einmahl in dem Receſs de A. 1548. für gültig erkannt, der Receſs auch an sich der Zeit nicht aufgehaben. Da nun, wie angezogen, die Vorsteher der Kirchen St. Petri ausdrücklich attestiren, daß Aepini Kirchen-Ordnung bis A. 1639. in Obseruantz gewesen, so würde nullo iure zu schließen seyn, daß selbe 1603 cassiret oder annulliret worden. Denn wie hätte man auf der Obseruantz sich gründen können, da allein Bugenhagii Kirchen-Ordnung in ecclesiasticis norma seyn sollen. Es möchte aber dennoch jemand einwenden: Es stünde gleichwol klahr in dem Receſs de A. 1603, daß Cerimonien, Kirchen-Dienste ꝛc. sowol in der Stadt, als in dero Gebiete nach des Bugenhagens Kirchen-Ordnung so lange solten gehalten werden, bis daß durch die gemeine Christenheit ein anders und bessers würde verordnet werden. Antwort: Eben diese Worte sind auch in dem Receſs de A. 1529. Artic. 59. enthalten, und dennoch saget der Receſs de A. 1548. daß die erledigte oder vacant gewordene Lehne nach Aepini Kirchen-Ordnung solten verlehnet werden. Gleichfalls sagen die Vorsteher zu St. Petri, sie sey bis A. 1639. in Obseruantz geblieben. Zu diesen Gründen könnte noch hinzu gethan werden, daß ein Hochedler Rath in der Schrifft de A. 1710, betreffend des Lectoris Secundarii Capitulation &c. dieselbe tecte für gültig erkennet. Welches auch von Reuer. Ministerio in ihrer Schrifft oder Responso de A. 1699. d. 20. October in puncto der Wahl des Lectoris Secundarii zugestanden. Ihre Worte lauten also: Der andere ist aus der Kirchen-Ordnung, sowol des seeligen Bugenhagens, als des seeligen Aepini, offenbar.

(1) In *Actis Ministerii* Tom. II. p. 206. haec leguntur:

A. cIↃ IↃ LVI. d. IV. Maii postridie post Cantate, M. PAVLVS AB EITZEN electus Superintendens huius

nico nomine *Wold*, in latinum idem ſignificans. Afferebat ſecum Vuittembergam litteras commendatitias, a Paſtoribus Hamburgenſibus ad ordinem Theologorum Vuittenbergenſium ſcriptas, hic a me inſerendas:

Clariſſimis Viris, eximia doctrina, pietate & prudentia praecellentibus, D. IOANNI BVGENHAGIO, Pomerano, D. PHILIPPO MELANCHTHONI, ceterisque Doctoribus & Licentiatis, Profeſſoribus facultatis ſacrae Theologicae in academia Vuitebergenſi, Dominis & Praeceptoribus ſuis omni reuerentia colendis.

Quanquam, Viri clariſſimi, & Praeceptores reuerendiſſimi, noſtro teſtimonio nihil opus erat, reuerendo Domino Superintendenti *M. Paulo*, cum & inclyti Senatus litteras ſatis ponderis habituras apud V. D. afferret, ſeque ſuae cum doctrinae tum uirtutis commendatione, ueſtro iudicio coram approbaturus eſſet: tamen decere nos exiſtimauimus, ut noſtrum quoque teſtimonium de ipſo perſcriberemus. Iam aliquot annos uerſatur nobiscum in eccleſiaſtici miniſterii functione, magnoque conſenſu eandem ueritatis doctrinam incorrupte & fideliter tradit, piae concordiae tum in priuata conuerſatione, quam gubernatione publica inprimis ſtudioſus. Fontes doctrinae in ueſtra Schola percepit ante annos aliquot, quam poſtea uſus, meditatio, experientia, & quotidiana inuocatio confirmatam auxerunt. Hoc depoſitum magna diligentia & fide cuſtodire

---

eccleſiae profectus eſt Vuittenbergam, ad ſumendum gradum & titulum Doctoris, una cum M. FRANCISCO SYLVIO, Phyſico, qui rediere d. V. Iunii poſtridie Corporis Chriſti.

cuſtodire curae ſibi habet. Porro profeſſionem ſuae uitae integritate, & exornat, & ſanctis exemplis Eccleſiae commendationem facit. Quae res & Senatum noſtrum pientiſſimum mouit, ut dignum iudicaret, qui in locum beatae memoriae, D. IOANNIS AEPINI ſubſtitueretur, & nos, ut ſumma uoluntate iudicio Senatus noſtrum calculum adderemus. Habent Domini noſtri obſeruantiſſimi, cum alias ſuas cauſas, cur petant, eum ueſtri ornatiſſimi collegii teſtimonio condecorari, propter quas & AEPINVS Doctoris inſignia ante annos complures accepit, tum praecipue hanc, ut maiori cum auctoritate praeeſſe & prodeſſe eccleſiae poſſit. Quare uenerabili ueſtro hoc Collegio Symmiſtam & Epiſcopum noſtrum commendamus, etiam atque etiam petentes, ut pro ueſtro ſtudio & pietate in Eccleſiam Dei, beneuolentia ueſtra complecti, prouehere & honorificum ueſtrum teſtimonium impertiri illi dignemini. Quod beneficium non in nos ſolum, nec priuatim in M. PAVLVM, ſed etiam in totam noſtram eccleſiam & ciuitatem conferetis, multos ſimul ad ſtudium referendae gratitudinis deuincturi. Bene ualete in Chriſto, qui diu V. D. ſeruet in ſolatium eccleſiae. Hamburgi, Calendis Maii anno cIↃ IↃ LVI.

Veſtrarum dignitatum, obſeruantiſſimi in
Eccleſia Hamburgenſi Paſtores
Ioach. Vueſtphalus
Theodoricus Phriſius
Ioh. Boetker. (1)

In tabulario ordinis Theologici Vuittenbergenſis de his honoribus EITZENIO collatis haec conſignata ſunt: *Anno* cIↃ IↃ LVI.

(1) Edita eſt haec epiſtola Paſtorum Hamburgenſium ex MSto in *Bibliotheca Danica* P. IV. p. 193.

d. XVIII Maii, *quum esset Decanus Collegii Theologici Reuer. Vir Dn. Doctor* IOANNES BVGENHAGEN, *Pomeranus, Pastor ecclesiae Vittembergensis, disputauit* M. PAVLVS AB EITZEN, *uocatus ad gubernationem ecclesiae Hamburgensis. Praeses disputationis fuit Reuerendus Vir Dn.* PHILIPPVS MELANCHTHON. *Deinde die* XXVIII *Maii decretus est huic* PAVLO AB EITZEN *gradus Doctoris Theologiae. Renunciatio facta est per Doctorem* GEORGIVM MAIOREM. *Numerauit academiae, quae numerari usitatum est. Oramus autem Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, Caput & Custodem Ecclesiae, ut hunc Doctorem* PAVLVM *& nos omnes Spiritu suo sancto regat, & protegat, & organa salubria Ecclesiae faciat!* (1) Acta eius Doctoralia Vuittenbergae typis expressa sunt. In quibus occurrunt primo: *Propositiones de quibus disputabit Magister* PAVLVS DE EITZEN, *Hamburgensis, Superintendens ecclesiae Dei in inclyta urbe Saxoniae Hamburga, Vuitebergae*, A. 1556. d. Maii 18. Excipit has D. GEORGII MAIORIS oratio *de capta Constantinopoli, anno* 1453. *recitata, cum decerneretur gradus Doctoris reuerendo D. PAVLO ab EITZEN, Superintendenti ecclesiae Dei in inclyta urbe Hamburga.* Tandem quaestio occurrit EITZENIO more recepto ad soluendum proposita: *An Filius Dei Dominus noster Iesus Christus etiam inuocandns sit tanquam Mediator?* Responsionem ad eandem MELANCHTHON adornauit. Hinc inserta quoque eius *Consiliis Theologicis* reperitur. (2) FRANCISCVS STANCARVS nempe id negabat, Mediatoris, quod Christo tribuitur officium, ad statum exinanitionis tantum pertinere adstruens. Qui, quum praeterierit, neque Christum amplius pro intercessore nostro habendum, neque ut Mediatorem & Intercessorem nostrum inuo-

(1) Conf. *Biblioth. Dan.* p. 192. seq. & GEORGIVS GOTHOFREDVS KVSTERVS *in memorabilibus Colonienf.* Specim. II. §. VI. p. 22. Mentionem etiam faciunt huius promotionis Doctoralis SVEVVS in *academia Vuiteberg.* ad annum cIↃ IↃ LVI. & ANDR. SENNERTVS in *Athenis Vuttebergensibus* p. 89.

(2) P. II. p. 242. & Tomo I. Opp. fol. 347. sqq. V. etiam, quae MELANCHTHON contra STANCARVM disputat *in epist. ad* HARDENBERGIVM a SEELENIO *in Philoc. epist.* repetita p. 10.

inuocandum esse. Tandem subiungitur programma D. IOANNIS BVGENHAGII, in quo ad haec solennia inuitat. (1)

§. XI.

Sunt praeterea alia, quae ad hunc annum spectant, commemoranda. Variae enim erant, quae ecclesiam affligebant calamitates. Quibus tollendis quum operam darent Viri, quibus doctrinae ueritas & pacis studium curae erat, neque Theologi nostri suo deerant officio. Quaesiuerunt enim de iis inuicem colloquendi occasionem Theologi Lubecenses & Hamburgenses, in conuentu A. clo lo LVI. die Martis ante purificationem Mariae habito. Intererat eidem a parte Hamburgensium EITZENIVS. Qui ipse quoque manu sua, quae in hoc Conuentu acta sunt, consignauit. (2) Decreuerunt in eo, librum, SCHWENCKFELDII erroribus oppositum, conficiendum, & omnium consensu euulgandum esse, in quo etiam tam Sacramentariorum, quam Anabaptistarum errores refutandi essent. Conuenerunt quoque, Magdeburgensibus peculiari epistola respondendum esse. Definiebatur porro, se operam esse daturos, ut Vuittenbergenses cum ILLYRICO reconciliarentur. Ideo statuunt se scripturos ad PHILIPPVM, & exploraturos, an bona ipsius uenia fieret, si istiusmodi reconciliationem tentarent? De eo, si certiores facti essent, se curaturos, ut ea, quae personas utriusque partis tangunt, per amnestiam, quae uero doctrinam concernunt, iuxta normam Augustanae Confessionis & Articulorum Smalcaldicorum componerentur. Agebatur etiam in hoc conuentu de Synodo. Quum enim crebri sermones spargerentur eam habitum iri, definiunt, quae de eadem unus aut alter audiret, litteris significare debere, & si quis ex suis ciuitatibus ad eam inuitaretur, se, quid faciendum sit, deliberaturos esse. Anabaptistarum quoque & Sacramentariorum mentio iniiciebatur. Quum enim illi libris, in quibus errores suos propugnabant, incautos seducere stude-

(1) Exercitationes has academicas, v. recusas in *Additam*, Num. I.

(2) Conf. STARCKII *hist. eccles. Lubec.* p. 133.

ſtuderent, decernunt ſe curaturos, ut Magiſtratus uenditionem iſtiusmodi librorum interdiceret. Et ut puritati doctrinae eo magis proſpiceretur, conueniunt, ſe, ſi errores aut errorum ſemina alicubi ſpargi intelligerent, ſollicitos fore, ut mature opportuna adminicula adhiberentur, quibus ſcintilla exſtingueretur, ne in maius incendium erumperet. Haec decreta denique M. FRIDERICO HENNINGES, Superintendenti Luneburgenſi, ſignificanda eſſe ſtatuunt: (1) Neſcire ſe ſcribit STARCKIVS, ubi is conuentus habitus ſit: (2) Moloniae eundem habitum eſſe, ex MELANCHTHONIS ad HARDENBERGIVM epiſtola diſco, in qua ſcribit: *Conuenerunt in oppido Mollen, prope Lubecam, Concionatores ex alioquot littoris illius urbibus, qui iam foedus fecerunt, ſe non uenturos eſſe ad eam Synodum, & de hac ipſa quaeſtione, de qua ſcribis, decretum fecerunt, ſe defenſuros eſſe* τὴν συξοιχείωσιν. Litterae datae ſunt die Martii c1ↄ 1ↄ LVI. Nullus dubito, quin MELANCHTHON ad hunc conuentum, cuius acta antea expoſui, reſpexerit. Quum enim in ipſo menſis Martii initio haec ſcriberet, & nullus alius conuentus Theologorum Lubecenſium Hamburgenſiumque proxime praeceſſiſſet; quum porro quae de eodem refert, in hoc conuentu ſint deliberata, res omnino extra dubium poſita eſt. Id unum monendum eſt, falſo MELANCHTHONI relatum eſſe, Concionatores Mollenae ſiue Moloniae tum congregatos, decreuiſſe, ſe non uenturos eſſe ad Synodum. Conſtat ex actis, illos id non ſimpliciter recuſaſſe: Haec potius eorum erat ſententia, ſe, ſi intelligerent Synodum indici, prius deliberaturos eſſe, quid faciendum ſit.

§. XII.

Nondum turbarum occaſione certaminum Adiaphoriſticorum excitatarum finis erat. (3) FLACIVS & qui cum illo faciebant, MELANCHTHONEM crebrioribus litteris adhortabantur, ut

(1) Haec ex *Actis Miniſt.* retuli, v. *Additamenta* N. II. & Reuer. CASP. HENRIC. STARCKE in der Lübeckſchen Kirchen-Hiſtorie p. 133. (2) l. c.

(3) V. quae de his ſcripſi in *Memoria* AEPINI *inſtaurata* p. 65-74.

ut ſcandalum quod conniuendo, & ſe Politicorum placitis attemperando dederat, non tantum agnoſceret, ſed etiam publico ſcripto profiteretur. Quanquam autem MELANCHTHON in epiſtolis ſuis hinc inde ſe lapſum eſſe profitebatur, poſterius tamen facere conſtanter renuebat. Vtrumque in propatulo eſt. Sic in epiſtola ad FLACIVM die IV Septembris A. clɔ lɔ LVI. ſcripta, haec occurrunt: *Fateor etiam, hac in re a me peccatum eſſe, & a Deo ueniam peto, quod non procul fugi inſidioſas illas deliberationes.* (1) Idem quoque in litteris ad Theologos Saxonicos exaratis occurrit: *Pertractus ſum*, ſcribit, *ad aularum deliberationes inſidioſas. Quare ſicubi uel lapſus ſum, uel languidius aliquid egi, peto a Deo & ab eccleſia ueniam, & iudiciis eccleſiae obtemperabo.* (2) Interim tamen de rebus adiaphoris peculiari ſcripto ſententiam ſuam exponere noluit, quod ex reſponſione illius, Theologis Saxonicis ad ipſum ablegatis, data, apparet. (3) FLACIVS interea publicis ſcriptis MELANCHTHONIS mollitiem taxauerat. Quum uero facile animaduerteret, hanc diſſenſionem non ſine multorum offenſione & coetus purioris detrimento ali, pacis cum Vuittenbergenſibus ineundae arbitros quaerebat, qui ueritatis retinendae & confirmandae rationem haberent, & Vuittenbergenſes Theologos cum Magdeburgenſibus, quorum principes ipſe atque VVIGANDVS erant, conciliarent. Scripſerant ideo hi Duumuiri ad Miniſterium Tripolitanum, quod anno clɔ lɔ LVI. die XV Iulii litteras reſponſorias ad illos dat, in quibus laudant harum eccleſiarum Doctores pium illorum zelum, quod Stenckfeldianis ſe oppoſuiſſent, promittunt, ſe illorum conatus adiuuaturos eſſe, & curaturos, ut breui tempore ſua breuis & ſimplex Confeſſio, Anabaptiſtarum, Sacramentariorum & Stenckfeldianorum erroribus oppoſita, in publicum emittatur. Narrant, ſe ſcriptum illorum in cauſa Adiaphoriſtica accepiſſe. De quo tamen quid ſibi uideatur non referunt, quoniam intellexerint, reconciliationem cum Vuittenbergenſibus tentari. Rogant eos, ut, quantum ſalua ueritate fieri poſſet,

(1) Occurrit haec epiſtola in IOANNIS BACMEISTERI *Actis Philippicis* p. 24.
(2) V. l. c. p. 49. (3) l. c. p. 47. & 53.

poſſet, ſe pacis amantes eſſe, re ipſa demonſtrent. Putant Vuittenbergenſes pacem & piam reconciliationem optare atque quaerere: Hac uero ſecuta, ſuo de ſcripto Magdeburgenſium, quod contra Adiaphoriſtas euulgaſſent, iudicio, non opus fore. Et ſi ad reconciliationis negotium perficiendum quaedam conferre poſſent, operam atque ſtudium ſuum ſincere promittunt. Subſcripſerunt huic epiſtolae PAVLVS VON EITZEN, VALENTINVS CVRTIVS, & FRIDERICVS HENNINGES, Hamburgenſis, Lubecenſis & Luneburgenſis eccleſiarum iſto tempore Superintendentes. (1) Quum igitur litteris hinc inde ſcriptis haec res diu iam agitata & penſitata eſſet, tandem ſub initium anni ſequentis quarundam Ciuitatum Theologi, has lites placide & pie compoſituri conueniebant. Erant inter illos, a parte Hamburgenſium, PAVLVS AB EITZEN & IOACHIMVS VVESTPHALVS. Proficiſcebantur primum Magdeburgum ibidem cum FLACIO collocuturi. Inſtitutum eſt hoc colloquium ipſo, quo aduenerant, die, qui erat XVII. Ianuarii. IOACHIMVS MORLINVS, Superintendens Brunſuicenſis, omnium nomine profitebatur, ſe cum Magdeburgenſibus eorumque ſcriptis, quae contra Adiaphoriſtas aliosque, qui eccleſiam erroribus ſuis inquinauerant, euulgaſſent, conſentire. Et quoniam res, quae agebatur, totius eccleſiae erat, FLACIO ſuadebant, ut ſe etiam ad iter accingeret, & loco haud procul ab urbe Vuittenbergenſi diſſito, & ſi ipſi ita uideretur, *Coswigae* commoraretur. Addebant, formam compoſitionis, quam moliebantur, eam futuram, ut non multis uerborum ambagibus cum Vuittenbergenſibus diſputarent, ſed potius ad pacem & concordiam illos adhortarentur. Quod ſi uero nulla compoſitio obtineri poſſet, ſe ueritatem Euangelicam contra omnes Fanaticos defenſuros eſſe. FLACIVS Theologis ciuitatum Saxonicarum gratias agebat, quod in re tanta iter ſuſceperint, retinebat ſuam quam in libro de *unitate* declauerat ſententiam, & aſſeuerabat, ſe non ex contendendi & litigandi pruritu, ſed ſincero ueritatis amore, contra Vuittenbergenſes

(1) Exſtat haec epiſtola in *Actis Miniſterii Hamb.* Tomo III. Lege illam, ſi placet, integram in *Additamentis* N. III. A.

genſes hactenus ſcripſiſſe, tandem quoque ſe iter inſtituturum eſſe pollicebatur. Poſtero igitur die Ciuitatum Saxonicarum Theologi Vuittenbergam proficiſcebantur, Magdeburgenſes uero Coswigam tendebant. Theologi, qui compoſitionem in ſe ſuſceperant, die XX. Ianuarii ad MELANCHTHONEM ſe conferebant, cui propoſitum ſuum, cur Vuittenbergam ueniſſent, aperuerunt, ut ſcilicet illius academiae Doctores cum FLACIO conciliarent. Quod fieri quam commodiſſime poſſe arbitrati ſunt, ſi capitibus doctrinae a FLACIO in ſuo de *unitate* libro propoſitis ſubſcriberet. MELANCHTHON eo ipſo die Hamburgenſes Legatos in diuerſorio eorum inuiſebat, omnes uero, qui ad compoſitionis negotium aduenerant, inuitabat, ut poſtero die ſecum pranderent. (1) Reſponſionem quoque ad ea, quae ſibi propoſuerant, ſcripta ad illos epiſtola adornabat, in qua ipſis gratias agit, quod eccleſiae uulnera ſanare conentur, profitetur ſe eſſe, & Deo iuuante harum eccleſiarum ciuem manſurum eſſe, & ſe iudiciis earum ſe ſubiicere. Scribit, ſi Theologi harum eccleſiarum inter ſe & FLACIVM arbitri eſſe uelint, ſe non detrectare illorum auctoritatem. Conqueritur de iniuria ſibi illata & calumniis in ſe coniectis, ſperat autem poſteritatis eruditae aequiora fore de ſuis laboribus iudicia. Secundum capita doctrinae a FLACIO propoſita, rem inter ſe & ipſum componi recuſat. Ab ipſo enim non uult pacis conditiones ſibi proponi, ſed ab arbitris. Vſitatum enim eſſe ſcribit, arbitros ferre conditiones. Iudicat primum omnium neceſſe eſſe, ut de toto corpore doctrinae inter ipſos conueniat, & abſint aſtutae occultationes. De adiaphoris ſe non uelle pugnare ſcribit, & optat, ut FLACIVS faciat maledicendi finem. Theologi igitur capita quaedam doctrinae conſignabant, & quae ſit MELANCHTHONIS de iisdem ſententia, ſibi expetebant. Haec uero ſingula MELANCHTHONI non erant ad palatum, neque coniuncta Magdeburgenſibus. FLACIO ſcilicet eiusque ſociis Coswigae degentibus non faciebant ſatis. Concinnabantur igitur a Theologis arbitris aliae propoſitiones.

(1) V. SALIGII Vollſtändige Hiſtorie der Augſpurgiſchen Confeſſion P. III. L. VIII. Cap. 27. §. 15. p. 242.

Verum & ex his unam atque alteram MELANCHTHON reiiciebat. In tertia ſcilicet propoſitione recte ſentientium mentem, quoad doctrinam de iuſtificatione expreſſerant, cui haec ſubiuncta erant uerba: *Ideoque tollatur corruptela de neceſſitate bonorum operum cum CONIVNCTIS.* Haec nimis generaliter dicta eſſe querebatur, quibus quisque, quae uellet, attexere poſſet. Malle igitur ſe explicate poni propoſitionem de bonis operibus. Vtrumque exprimendum eſſe, *quomodo ſit neceſſaria noua obedientia*, & quod phraſis: *Bona opera ſunt neceſſaria ad ſalutem*, reiiciatur. Neque approbabat, quod arbitri ſcripſiſſent: Nos iuſtificari *ſine operibus legis.* Simpliciter dici uult: *ſine operibus.* IVLIVM PFLVGIVM enim atque MICHAELEM SIDONIVM concedere hanc propoſitionem: *Sine operibus legis iuſtificamur*, intelligere uero *opera ante gratiam.* Et licet arbitri eum obnixe rogaſſent, ut publico ſcripto conteſtari uelit, ſuam ſententiam de rebus adiaphoris & neceſſitate operum ad ſalutem, cum Saxonicarum eccleſiarum confeſſione conuenire, id tamen ab eo impetrare non potuerunt. Dicebat enim, quid de adiaphoris ſentiret ex ſcriptis ſuis notum eſſe. Nolle ſe de *Adiaphoris* aliquam nouam diſputationem mouere aut damnare noſtros, quorum aliqui mortui ſint, qui retineri eos ritus, quos LVTHERVS retinuit, maluerint, quam pelli pios Paſtores & miſeras familias, & fieri uaſtitates in eccleſiis, neque uelle ſe ſuo aliquo iudicio Viros optimos, qui in illis deliberationibus fuerint grauari. De bonis uero operibus ſtatuebat: Ea neceſſaria eſſe, quia ordo a Deo immotus eſt, ut Creatura Deo obtemperet, a phraſi uero: *Bona opera ſunt neceſſaria ad ſalutem*, abſtinendum eſſe, recte iudicabat. Haec quum arbitri Magdeburgenſibns referrent, compoſitionem cum Vuittenbergenſibus ſe inire poſſe negabant, niſi *Interim Auguſtanum* cum depraua-tionibus adiaphoriſticis, aliisque erroribus & corruptelis doctrinae reiicerent, & unumquemque, ut ſibi ab iisdem caueret, publico ſcripto admonerent. Hoc uero, quum a Vuittenbergenſibus obtineri non poſſet, totum negotium fuit irritum & ſic re infecta arbitri diſceſſerunt, licet Magdeburgenſes eos hortati eſſent, ut denuo MELANCHTHONEM adirent, tentaturi poſſetne animus eius magis ad uoluntatem eorum flecti, neque compoſitionis negotium abrumpe-

rumperent. (1) Maturauerunt ſine dubio ſuum Vuittenberga diſceſſum Theologi Saxonici, quod non tantum MELANCHTHONEM nimium irritatum, ſed & ſtudioſorum animos in ſe concitatos animaduertebant. Duriter enim ibidem ſunt excepti & multas contumelias ex chartis in ſe iniuriis perpeſſi ſunt. (2) Neque poſt eorum abitum nominibus eorum eſt parcitum. (3) Quum uero

 rumor

(1) Qui plura de hac compoſitione legere cupit, conferre poteſt *Antiquo-noua Theol.* A. 1708. p. 529-538. RHETMEYERI *Hiſt. Eccl. Brunſuicenſ.* P. III. p. 230. STARCKII *Hiſt. Eccleſ. Lubec.* p. 136. ſqq. BERTRAMI *Hiſtor. Eccleſ. Luneb.* p. 35. in additam. BACMEISTERI *Acta Philippica*, Tubingae cIↃ IↃ CC XIX. in 4. edita, RVDOLPHI MARCI Hiſtoriſche Nachricht von dem Coſwiger-*Conuent.* Quod ſcriptum recenſetur in den Früh-aufgeleſenen Früchten A. 1737. p. 278. V. porro MELANCHTHONIS *Conſilia Theologica* P. II. p. 258-269. POMARII dedicatio Commentarii in Epiſtolam Iudae §. 24. SALIGIVS in der Vollſtändigen Hiſtorie der Augſpurgiſchen Confeſſion und derſelben Apologie P. I. p. 643. ſeqq. & P. III. p. 238. ſqq. ubi multo accuratius ea, quae ad hoc argumentum pertinent, recenſet. Mentionem huius inter ſe & FLACIVM tentatae conciliationis facit MELANCHTHON in epiſtola quadam ad ALB. HARDENBERGIVM ſcripta, in qua haec refert: *Poſt iter tuum uenerunt huc Paſtores eccleſiarum Brunſuicenſis, Hamburgenſis, Lubecenſis, Luneburgenſis, ſint ut διαιτηταὶ & arbitri inter Flacium & me. Dixi me non recuſare, quo minus inſtituant reconciliationem, ſed uelle me, ut de toto corpore doctrinae agatur. Illi diſerte teſtati ſunt, ſe non uenire, ut de doctrina inſtituatur collatio, tantum ſe reconciliationem tentaturos eſſe. Ad huc igitur cum Flacio deliberant, quos articulos mihi proponant. Nec certiora iam ſcribere poſſum, quia nondum uentum eſt ad ἐπίτασιν huius actionis.* V. MELANCH. *epiſt. ad* HARDENB. B. 4. In alia ad eundem epiſtola haec occurrunt: *Poſt Saxonicorum Legatorum abitum uenerunt huc Megalburgenſes, qui multo duriores conditiones pacis tulerunt. Reſpondi: Malle me palam interfici, quam talibus decretis iugulari.* D. 3.

(2) V. *Antiquo-noua Theol.* A. 1708. p. 538.

(3) Prodierunt enim eo ipſo anno duo Poëmata, quorum Auctor erat IOANNES MAIOR, Poëta Vuittenbergenſis, in quibus FLACIVM aliosque, qui cum ipſo faciebant Theologos, ſale ſatyrico acerbe perſtringit. Alterius inſcriptio eſt: *Hortus Libani, in quo Deus ſalutares plantauit herbas, & degeneres irrepſerunt,*

rumor ueniret, EITZENIVM noſtrum Magdeburgenſibus ſuſpectum eſſe, quod Adiaphoriſtarum tibias inflaret, inde uero FLACIVM permotum eſſe, ut non tantum publico ſcripto aduerſus eum inſurgeret, ſed etiam eum coram Adiaphoriſtam uocauerit FLACIVS atque VVIGANDVS, epiſtola ad EITZENIVM data haec a ſe amoliuntur, ſuam innocentiam exponentes, EITZENIVMque, ut eam, ſi iſtiusmodi quid ſpargi audiret, tueri, ſibi commendatum haberet, maximopere rogantes (1)

§. XIII.

& eum deformarunt. Fingit in hoc poëmate, hortum Libani eſſe Vuittenbergam, & doctrinas ibidem propoſitas cum herbis ſalutaribus comparat, dogmata uero, ab iis, qui Vuittenbergenſibus ſe opponebant, defenſa, herbas noxias nominat, & ſub utrarumque nominibus uarias perſonas depingit. Circeam tanem comminiſcitur transformationem, e qua ſues, canes, aſini, lupi, aues, etiam gallus, ſanctas Philomelae, i. e. MELANCHTHONIS, aures uerberans, prouenerint, omnia, quae in Horto egregia & amoena, foedantes. Vid. Delic. Poet. Germ. P. IV. p. 213. ſeqq. quibus Hortus Libani integer inſertus eſt. Alterum dicitur: *Synodus auium, depingens miſeram faciem eccleſiae propter certamina quorundam, qui de primatu contendunt cum oppreſſione recte meritorum.* In hoc carmine finguntur aues mortuo *Cygno*, hoc eſt LVTHERO, comitia celebrare & deliberare de ſucceſſore eius, ubi alii *Cuculo* h. e. FLACIO, alii *Gallo* hoc eſt NICOLAO GALLO, alii *Merulae*, hoc eſt NICOLAO AMSDORFFIO, meliores uero PHILIPPO, quem Philomelam uocat, principatum deferunt. EITZENIVS in eodem Iſpida dicitur. Inſeruit id ipſum IOACHIMI FELLERI notis illuſtratum ſuis Actis litterariis BVRC. GOTTHELFF. STRVVIVS Faſc. IV. p. 17. ſqq. ex quibus quinam Theologi per aues ibi adductas intelligendi ſint, repetit Cl. SEELENIVS in *Philocalia Epiſtolica* p. 66.

(1) Epiſtola haec in *Actis Miniſterii Hamb.* aſſeruatur, & ita ſe habet:

Salutem ab unico uerae Salutis fonte. Amen.

Quam inuitus nuper in praeſentia fratrum aliquid dixerim de iſto uaniſſimo rumore meae contra te ſcriptionis, ne uiderer te quaſi accuſare uelle, ipſe animaduertiſti.

Eadem

§. XIII.

Quum ADOLPHVS Holſatiae Dux de ſacris in ditonibus ſuis illibate ſeruandis eſſet ſollicitus, neceſſarium eſſe ducebat, ut Viris ex

Eadem cauſa eſt, cur etiam de aliis rumoribus de nobis iſtic ſparſis nihil dicere uoluerim. Cognoui enim, eſſe iſtic inter alia diuulgatum, nos quum hic eſſes, te in faciem *Adiaphoriſtam* uocaſſe. Quae ſicut nos a nobis dicta non eſſe, certe ſcimus, ita etiam non Tua culpa iſtic eſſe diſſeminata pro Chriſtiana charitate omnia credente nobis perſuademus. Certo enim meminimus, nihil nobis in utroque illo congreſſu ineundo & redeundo excidiſſe durius, quam quod (quum in reditu aliquanto feruentius pro Viteb. innocentia diceres, affirmaresque, ipſos ad Diuinum iudicium prouocare) M. VVIGANDVS dicebat: Audite d. D. priusquam nos damnetis, uolens porro narrare, quae ipſi certamina in Mansfeldenſi comitatu de Adiaphoris & Lipſico INTERIM fuerint. Verum offenſus ea uoce copiam ſuum ſermonem proſequendi ei non dabas. Qua propter maximopere t. h. oramus atque obſecramus, ut ſicubi quid de iſto rumore audierit, per commoditatem apud honeſtos Viros, ueritati ac innocentiae noſtrae teſtimonium dare fraterne uelit. Quod uiciſſim nos promte facturos, ſi quid memineris, libenter liberaliterque pollicemur, noſtraque officia Tibi deferimus. Vale in Domino foeliciter. Madeb. 27. Octob. 1556.

T. h. S.

M. Flac. Illyricus.

Iohannes Vuigandus,

propria manu.

Ex

ex ſacro ordine delegaretur prouincia, eccleſias in Ducatibus ſuis uiſitandi, & in Sacerdotum doctrinam & mores inquirendi. Perceperat enim Anabaptiſtas & Sacramentarios hinc inde ſerpere & erroribus ſuis incautos decipere. Expetiuerat ſibi igitur a Magiſtratu Hamburgenſi Superintendentem PAVLVM EITZENIVM, de cuius uirtute, purioris doctrinae ſtudio & dexteritate ipſi erat perſuaſum. Concedebatur is quoque Principi optimo, ut ea expediret, quae ipſi ex ſententia Principis imperabantur. Adiunctos ſibi habebat EITZENIVS, VOLQVARDVM IONAE, Praepoſitum Slesuicenſem, & PETRVM BOCKELMANNVM, (1) Paſtorem Huſenſem. Peracta uero eſt haec uiſitatio Anno clɔ lɔ LVII. (2) Egre-

---

Ex Autographo Tomo III. Act. Min. Inſcriptio haec eſt:

Clariſſ. & doctiſſ. Viro D. D. PAVLO ab EITZEN, Superint. Hamb. ſuo Domino.

Expreſſus eſt annus clɔ lɔ LVI. Quum uero Legatio ad Vuittenbergenſes anno ſequenti peracta ſit, ad quam tamen in epiſtola hac reſpicitur, nullus dubito quin per errorem annus LVI. pro anno LVII. ſit poſitus.

(1) V. de eo Io. MELCH. KRAFFTIVS *in Hiſt. eccleſ. Huſ.* p. 123. & 451. ſqq. nec non SEELENIVS *in Philocalea epiſtolica* p. 50.

(2) Ex his apparet EITZENIVM noſtrum etiam *Theologis ad tempus commodatis* annumerandum eſſe. Scripſit de hoc argumento ſchediaſma eruditum VENER. ZEIBICHIVS, editum Lipſiae anno clɔ lɔ cc IX. in 4. In hoc ipſo XXV. Theologos adducit, ab aliis ut ſacra ſua uel ordinarent uel repurgarent ad tempus commodatos. Agit ſcilicet in eo de MARTINO LVTHERO, NICOLAO AMSDORFFIO, IVSTO IONA, CASPARE CRVCIGERO, IOANNE BVGENHAGIO, VRBANO RHEGIO, FRIDERICO MYCONIO, AMBROSIO BLAVRERO, PAVLO FAGIO, GEORGIO MAIORE, MATTHIA FLACIO ILLYRICO, THOMA VENATORIO, IOANNE BRENTIO, MARTINO CHEMNITIO, BALTHAS. BIDEMBACHIO, IACOBO ANDREA, CVNMANNO FLINSBACHIO, PAVLO EBERO, DAV. CHYTRAEO, LVCA BACMEISTERO, AEGIDIO HVNNIO, GEORGIO MYLIO, POLYCARPO LYSERO, IACOBO HEILBRVNNERO & IOANNE SCHELHAMMERO.

Annotaui

Egregium eſt mandatum & tanto Principe dignum, quod eo tempore prodibat, in quo poſt aſſertam Magiſtratus Chriſtiani circa ſacra curam, exponitur cauſa & occaſio uiſitationis inſtituendae. Iubet

Annotaui praeter EITZENIVM alios, qui his addi poſſunt. Accenſendi ſcilicet illis ſunt

STEPHANVS KEMPIVS, qui Hamburgo Luneburgum uocatus eſt, ut Sacra ibidem in melius reformaret, v. BERTRAMI *Hiſt. Reform. Luneb.* p. 45. ſqq.

IOANNES AEPINVS, ab Hamburgenſibus rogatu Regis Angliae HENRICI VIII. Londinum miſſus, ut Regi Sacra repurgare meditanti conſilio ſuo adeſſet. V. *Mem.* AEPINI *inſtaurata* p. 22. ſqq.

VVINNIGSTADIVS, Quedlinburgi ad S. Blaſium Parochus, ad tempus repetebatur Halberſtadium, ut in templo Ioannitano plantaret Euangelium, & Sacramenta adminiſtraret. Quod quum per nouem hebdomadas feciſſet, a Quedlinburgenſibus eſt reuocatus. V. CASP. SAGITTARIVS in *Hiſtor. Halberſtadienſi* p. 93.

HERM. BONNVS, Praeſul Lubecenſis, Osnabrugam ad tempus uocatur, eccleſiam ibi a ſordibus Pontificiis repurgaturus. Vid. STARCKIVS in der Lübeckſchen Kirchen-Hiſtorie p. 42 - 48.

IOANNES FORSTERVS, Praeſul Norimbergenſis ad Diui Laurentii aedem, ad tempus commodatus Ratisbonam ſe contulit, ibique cum ERASMO ZOLLNERO, & LEOPOLDO MOSERO, puriorem doctrinam propoſuit, & Sacramenta, prout Chriſtus eadem inſtituit, adminiſtrauit. V. GEORGII SERPILII praefat. Io. HENR. KINDERVATERI Nordhuſae illuſtri praemiſſam a. 3. Idem patet ex LVTHERI ad eum litteris, anno cIↃ IↃ XLII. d. XXVII. Nouembris datis, ubi eum *Legatum Chriſti Ratisbonenſem* uocat, & in litteris ad Senatum Ratisbonenſem eodem anno exaratis ſcribit: Ich hoffe die zu Nürnberg können D. Förſtern ſo lang zum freundlichen Chriſtlichen Dienſt wol gerathen, v. SERPILIVM l. c.

TILEMANNVS PLETNERVS, Superintendens & Concionator aulicus Stolbergenſis, Quedlinburgum ad tempus miſſus, ut Sacra ibi ordinaret. V. FRID. ERNESTI KETTNERI Kirchen- und Reformations-Hiſtorie des Stiffts Quedlinburg, Cap. XX. p. 126.

Iubet Princeps Visitatores, ut omnes sacri ordinis Viros, quotquot coetibus ipsius Dominio subiectis praeessent, examinent, & praeuia inquisitione in eorum uitam & mores, doctrinam & confessionem eorum expiscentur. Quod si deprehensi fuerint quidam qui ex simplicitate errassent, & meliora edoceri uellent, non respuentes informationem, illos in uiam reuocandos atque ducendos esse: Inhae-

---

NICOLAVS SELNECCERVS, ex Ducatu Brunsuicensi uocatus ad Comitatum Altenburgensem, ut ibi cum HERM. HAMELMANNO, quem laborum socium sibi adsciuerat, Sacra ordinaret. Quod quum praestitisset, liberaliter & honeste ab inclutis Dominis Comitibus dimissus est. V. HAMELMANNI *Histor. renati Euangelii per inferiorem Saxoniam*, insertam *Operibus* eius *Genealogicis*, iunctim editis, p. 780. Conf. de eo GLEICHII *Annales Eccles.* p. 109. sq. & p. 112. sq. v. & RHETMEYERI Braunschw. Kirchen-Historie P. III. p. 351. sqq.

ADRIANVS BVXSCHOTIVS, bis ad reformandas ecclesias in Comitatum Lippiae, diuersis temporibus, mittebatur. Erat is autem Pastor oppidi & arcis Hoyensis. V. HAMELMANNVS in *Histor. renati Euangelii, in operibus Genealogicis* p. 801.

TIMOTHEVS KIRCHNERVS, v. GLEICHII *annales eccles.* p. 113.

IOANNES PAPPVS. Conf. GLEICHIVS l. c. p. 149.

ANDREAS POVCHENIVS, Superintendens Lubecensis, qui anno clɔ lɔ LXXXI. expetitus est, ut Sacra in Ducatu Lauenburgensi ordinaret atque repurgaret. Quod & eum praestitisse, testatur CHRISTIANVS SCHLOPKENIVS in der Historischen Nachricht vom Heidenthum, Christenthum und Reformation des Fürstenthums Lauenburg p. 74. sqq.

AVTOR SANDERVS, HENRICVS VVINCKELIVS, & ANDREAS HOYERVS. Hi triumuiri Brunsuiga Hannoueram ad tempus se receperunt, ut Sacra ibi ordinarent. V. MEIERVS in der Nachricht von der Stadt Hannover, p. 42. sq. & Io. ANTHONIVS STRVBBERGIVS, qui hunc librum edidit, in notis.

RVDOLPHVS MOLLERVS, Superintendens Hamelensis, & FRIDERICVS DEDEKINDVS, Pastor Neostadiensis, a Magistratu Gottingensi expetiti, ut lites inter ordinis sacri Viros, ibi in doctrina de libero hominis arbitrio exortas, pie componerent. V. RHETMEYERI *Histor. Eccles. Brunsuic.* P. III. p. 366. seqq.

Inhaerentes uero erroribus pertinaciter, & meliora docentibus morose contradicentes, ab officio remoueri uolebat. Denique Visitatoribus iniungebatur, ut omnes & singulos Verbi Diuini Praecones, ad quos ueniebant, sedulo adhortarentur, ut puritatem doctrinae sibi quam maxime commendatam haberent, & uitae sanctimonia illis, quorum curam gererent, praelucerent. Publicatum hoc mandatum est anno clɔ lɔ LVII. d. 2. Augusti. (1) Visitauit quoque tunc EITZENIVS ecclesias Eideroſtadenses. Pro qua opera ab una quaque illarum remunerationem accepit. Quam iunctim summam ad octoginta thalerorum summam excreuisse, HEIMREICHIVS refert. (2) Exstat quoque in Actis sacri ordinis Hamburgensis Confessio Concionatorum Eideroſtadensium, Anno clɔ lɔ LVII. EITZENII manu exarata, cui omnes uerbi Diuini Ministri in tractu Eideroſtadensi subscribere debuerunt. In ea promittunt, se mandato Principis obtemperaturos, & sedulo obseruaturos esse, quae a Visitatoribus sibi erant propoſita; Speciatim pollicentur, se puritati doctrinae & uitae integritati operam daturos. Deinde confessionem suam in doctrina de iustificatione, de Sacramentis generatim, de baptismi & Sacrae Coenae Sacramento speciatim edunt, in qua detestantur non tantum Pontificiorum transsubstantiationem, & abusus ex ea profluentes, sed etiam Sacramentariorum errores, ex quibus nominant CAROLOSTADIVM, ZVVINGLIVM, OECOLAMPADIVM, CALVINVM, IOANNEM A LASCO, OCHINVM, BVLLINGERVM, MICRONIVM, MARTTREM, quorum scripta & errores reiiciunt, & se omni opportuna occasione, praesertim necessitate id efflagitante eos confutaturos, & si quem in istis ditionibus hoc errorum inquinamento infectum animaduerterent, se eum constitutis Visitatoribus indicaturos esse spondent. (3)

(1) Lege illud, si placet, in Additam. Num. III. B. & in Bibliotheca Dan. P. IV. p. 182. sqq. (2) in der Nordfriesischen Chronick p. 236.

(3) Confessio ab EITZENIO elaborata, prout eam ex autographo descripsi inserta est Additam. Num. IV. Nuper quoque edita est in Bibliotheca Dan. P. IV. p. 186. sqq.

§. XIV.

Prodierunt eodem hoc anno clɔ lɔ LVII. bina ſcripta, quae EITZENIVM auctorem agnoſcunt. Alterum publicum eſt, quod nomine totius ordinis ſacri Hamburgenſis elaborauit, cui ſingula iſtius tum temporis membra ſubſcripſerunt. Hoc uero in forma octaui ordinis Hamburgi ſequenti inſcriptione eſt editum: Der Prediger tho Hamborch ſchlichte unde rechte Bekenteniſſe van dem Hochwürdigen Sacramente des Lyves und Blodes unſes Leven HERREN IESU CHRISTI mit einer trůwen Vormaninge unde Warninge an de Chriſtlike Gemene.

2. Cor. 4.

Dar ſteit geſchreuen:

Ick gelöue, darůmme rede ick ock. So gelöue wy ock, darůmme rede wy ock.

clɔ lɔ LVII.

In ſcripto hoc primo exponitur periculum coetui ſacro puriori a Sacramentariis tunc imminens. Hinc neceſſarium eſſe dicitur, ut Doctores eccleſiarum omnem adhiberent operam, ne auditores eorum aliquid detrimenti inde caperent. Cui auertendo opportunum eſſe ducunt, ut ſimplicem & ueram Confeſſionem edant, ex qua quisque intelligat, quid Doctores ſui, de capitibus, quae in controuerſiam ueniebant, credant atque doceant, & ut omnes cum hac confeſſione pugnantes ſententiae atque errores, publice condemnentur. Hoc ipſum quoque Miniſtros eccleſiae Hamburgenſis in hoc ſcripto praeſtitiſſe aſſerunt, & oſtendiſſe, quod in doctrina de Sacra Coena idem credant atque doceant, quod iuxta uerum uerborum Chriſti, in quibus ſacrum hoc epulum inſtituit, ſenſum, uera Chriſti eccleſia ab Apoſtolorum tempore ſemper docuit, quod ipſum quoque Diuus LVTHERVS, cum fidis συνέργοις ſuis profeſſus eſt. Damnant uero inſuper omnes omnium Sacramentariorum fanaticas opiniones atque errores, ſpeciatim BERENGARII, CAROLOSTADII, ZVVINGLII, OECOLAMPADII, CALVINI, A LASCO, BVLLINGERI, OCHINI, MICRONII,

CRONII, qui uerba Christi, in quibus Sacram Coenam instituit, aliter explicant, ac LVTHERVS in Augustana Confessione aliisque scriptis publicis ea explicauerat. Vt uero suum cum LVTHERO consensum unusquisque auditorum suorum eo apertius intelligeret, non nouam se adornare uoluisse confessionem monent, sed talem, in qua singula uerba ex scriptis LVTHERI publicis repeterent, illisque adstipularentur. Quibus peroratis, adducuntur uerba, doctrinam de Sacra Coena concernentia, ex Augustana Confessione eiusque apologia, articulis Smalcaldicis, Catechismo LVTHERI, & ordinatione Sacrorum publicorum a MELANCHTHONE anno clo lo LII. adornata. Tandem adhortantur auditores suos, ut sibi ab omnibus Sacramentariorum erroribus caueant. Recudi hoc scriptum curauit beatus STAPHORSTIVS. (1) Scribit IOANNES MOLLERVS, Lycei Flensburgensis Rector olim Celeberrimus, EITZENIVM ex postulato VVESTPHALI hanc confessionem conscripsisse, quam Ministri reliqui chirographo suo approbauerint. Editam esse eam primo Latino idiomate, quam VVESTPHALVS eodem anno Magdeburgi cum aliarum ecclesiarum Saxonicarum de eodem doctrinae capite confessionibus excudi curauerit: Saxonico quoque idiomate eodem anno clo lo LVII Hamburgi impressam esse refert. (2) Quanquam autem in aprico positum est, EITZENIVM latinam illam confessionem de Coena Domini, in qua VVESTPHALI innocentiam aduersus CALVINI criminationes & calumnias simul tuetur, hortatu VVESTPHALI conscripsisse; (3) in eo tamen fallitur Vir doctissimus, quando latinam hanc cum ea, quae Saxonico idiomate ipso hoc anno prodiit, eandem esse putat. Contrarium enim ex inspectione utriusque scripti euidenter patet.

(1) in der Bekenntniß der Kirchen zu Hamburg p. 250-259.

(2) in *Isag. ad hist. Cherf. Cimbr.* P. IV. p. 581.

(3) Exstat illa *in Confessione fidei de Eucharistiae Sacramento, in qua Ministri ecclesiarum Saxoniae adstruunt Corporis & Sanguinis Iesu Christi praesentiam in Coena sancta, & de libro* IOANNIS CALVINI *sibi dedicato respondent*, Magdeburgae in 8 impressa O. VI. b-P.

De argumento autem latinae confeſſionis nihil refero, quum haec omnia, quae ad VVESTPHALI cum CALVINO controuerſias ſpectant, ad Memoriam VVESTPHALI, ex inſtituto a me inſtaurandam, magis commodere ſeruari, & in ea exponi exiſtimem.

§. XV.

Alterum ſcriptum, quo EITZENIVS anno clɔ lɔ LVII. inclaruit, priuatum erat. Librum enim euulgabat, quem inſcripſit: *Defenſio uerae doctrinae de Coena Domini noſtri Ieſu Chriſti*, Vrſellis per NICOLAVM HENRICVM in forma octaui ordinis excuſum. Dicauit eum Illuſtriſſimo Principi VVILHELMO, Epiſcopo Monaſterienſi. Pauca haec ex dedicatione adducere placet. Quum ſcilicet iam illo tempore Viri, qui ueritatem doctrinae aduerſus illos, qui illam corrumpebant, ſartam intemeratamque ſeruare ſtudebant, *turbatorum* nomine traducerentur, hoc conuicio illos peruerſe onerari monebat, quum potius illi ſic appellandi ſint, qui ueritati contradicerent, illamque obfuſcarent: *Turbatores eccleſiae*, inquit, *non ſunt illi, qui ueritatem Dei docent, eamque uoce & ſcriptis per Dei gratiam praedicant & defendunt contra omnes contradicentes. Hi eccleſiam non turbant, ſed eam aedificant, laborantes & pugnantes pro uinculo pacis & unitatis eccleſiae, uidelicet pro ueritate doctrinae Dei, & fidei ſinceritate. At iſti ſunt eccleſiarum turbatores, qui ueritati doctrinae coeleſtis & ſinceritati Chriſtianae fidei contradicunt, nouas opiniones effingunt & ſeminant, quibus ſimplicium animos faciunt perplexos, quibus unitatem eccleſiae in ſectas diſſoluunt & diſtrahunt.* (1) Non heri aut nudius tertius demum Sacramentarii, mendaciis rebus ſuis conſulere conati ſunt, ſed temerario auſu iam ab initio infelicis certaminis, a ZVVINGLIO atque CAROLOSTADIO moti, id in more poſitum habuerunt. Finxerunt enim uel LVTHERVM ſecum conſentire, uel etiam ſe Auguſtanae confeſſioni adhaerere. Idem EITZENIVS in illis non ferendum eſſe docebat, impudentiam namque eorum deteſtabatur, ſcribit enim: *Non ſine dolore recenſeo, quae uos ſine rubore affirmare audetis. Doleo uos adeo excoecatos eſſe, ut putetis quidlibet*

(1) in dedicat. X. 3. b.

quidlibet dicendi uobis esse aequam potestatem. Scribitis uos retinere sententiam confessionis Augustanae, & sanctissimum Virum D. LVTHERVM cum suis fratribus in colloquio Marpurgensi pedibus iuisse in uestram sententiam. Si hoc in India diceretis, fortassis inueniretis, qui crederent. Ast in Germania, nemo hoc uobis credet, scio, qui de hac controuersia aliquid legit aut fando audiuit, nisi uelit libenter decipi & errare. (1) Liber ipse in duas Sectiones dispescitur. Altera doctrinam Lutheranorum de Sacra Coena contra Sacramentariorum & Caluinianorum errores asserit; altera Pontificiorum de transsubstantiatione commento est opposita. In stabilienda nostra doctrina ueritatem scripturae fundamenti loco ponit, cui rationem & philosophiam cedere debere, si quidem ipsi quaedam absona asserere uideatur, recte propugnat. *Veritas scripturae*, inquit, *in illis, quae sensibus nostris uidentur esse impossibilia, infallibiliter demonstratur per uirtutem Dei, sicut scriptum est: Non est impossibile apud Deum omne uerbum: Ipse dixit & facta sunt: Fides nostra non est in sapientia hominum, sed in uirtute Dei. - - Huic demonstrationi*, pergit, *debet cedere tota philosophia cum omni humana sapientia, & tota rerum natura.* Addit: *Philosophia est bona scientia, & bonum Dei donum, sed quando non uult cedere huic demonstrationi, tunc est inanis, mendax, deceptrix, diaboli incantatio & efficacia illusionis.* (2) Notum scilicet est, Caluinianos ueram

(1) l. c. X. 4. b. Nostra aetate aceruatim Caluiniani satis impudenter adstruxerunt, LVTHERVM in praecipuis doctrinae capitibus, quae hodierni Lutherani impugnant, secum consentire. Idem data opera, sed irrito conatu, ante annos aliquot, demonstrandum suscepit IOANNES MAVRITIVS MOMMERS, Pastor Hemmensis in Geldria, in libro quem inscripsit: LVTHER GEREFORMEERT, Lugduni Batav. cIↃ IↃCC XXIX. in 4. edito. Cui Vir Summe reuer. IOANNES LVDOVICVS SCHLOSSERVS Theologus Hamburgensis, & ad Diuae Catharinae aedem Antistes, Fautor & amicus noster aestumatissimus, opposuit librum pereruditum, quem LVTHERVM LVTHERANVM inscripsit, Hamburgi anno cIↃ IↃCC XXXIX. in 8. editum, in quo Caluinianum Batauum confundit, & si non omnis pudor ipsi periit, ut pudefiat, efficit. Subiunxit huic operi binas appendices, in quarum altera specimen historiae litterariae LVTHERI Reformati exhibet, & scriptores enumerat cum Reformatos, qui secum sensisse LVTHERVM contenderunt, tum Lutheranos orthodoxiae illius Vindices.

ueram Corporis & Sanguinis Chriſti in Sacra Coena praeſentiam, argumentis ex Philoſophia deſumtis, impugnare ſolere. Quum uero haec doctrina uirtute Dei nitatur, & philoſophiae limites transſcendat, iure Auctor noſter huic abuſui Philoſophiae contradicit. Obſeruatu dignum eſt, quando ſcribit: *Multa in Philoſophia uidentur eſſe ueriſſima, iuxta omnes demonſtrationes, quae tamen falſiſſima ſunt in Theologia Chriſtiana. Philoſophis ueriſſima eſt ſententia: Ex nihilo nihil fit. Haec ueriſſima ueritas in Philoſophia, eſt in Theologia falſiſſima falſitas.* Rurſum: *Multa in Philoſophia iuxta omnes demonſtrationes uidentur eſſe falſiſſima & impoſſibilia, quae tamen in Theologia ſunt ueriſſima. Haeretici philoſophicis rationibus demonſtrabant, falſas eſſe propoſitiones: Tres Perſonae ſunt unus Deus, ſeu: Vna eſſentia Diuina eſt Deus & homo. Hae demonſtratae falſitates in Philoſophia, ſunt aeternae & ueriſſimae ueritates in Theologia.* Addit: *In Philoſophia hae propoſitiones fidei noſtrae uidentur eſſe falſiſſimae: Panis Euchariſtiae eſt Corpus Chriſti, Vinum eſt Chriſti ſanguis. Sed in Theologia ſunt propoſitiones ueriſſimae & certiſſimae, propter ſcripturam & uirtutem Dei.* Ex quibus infert: *Sacramentarii multas Philoſophicas rationes colligunt, quibus harum propoſitionum falſitatem & impoſſibilitatem demonſtrare conantur: Sed cedat Philoſophia cum ſuis demonſtrationibus ſcripturae & ueritate Dei.* (1) Clamitant Caluiniani, eſſe contra naturae ordinem, & ueri corporis proprietatem, eſſe uno eodemque temporis momento in locis diuerſis, hinc inferunt, fieri non poſſe ut Corpus Chriſti in omnibus iis locis, ubi Coena Sacra adminiſtratur, ſimul adſit. Quid ad haec EITZENIVS? Recipit ſe ad uoluntatem & uirtutem Dei, cui nihil ſit *ἀδύνατον*. Illuſtrat, quae aſſerit, exemplis ex ſcriptura Sacra deſumtis, & ita ſcribit: *Communis naturae curſus eſt, ut Iuuencula pariat, effoeta non pariat. Hic naturae curſus mutatur per uerbum, uoluntatem, & uirtutem Dei, manente natura. Et ABRAHAM, & ZACHARIAS, ex effoetis & ſterilibus uxoribus, naturales liberos ſuſcipiunt, contra naturae curſum & omnes regulas Phyſicas. Communis naturae curſus eſt iuxta Phyſicam, immo iuxta Dei ordinationem in ſcriptura fundatam, ut Mater ex ſemine Patris concipiat & pariat. Maſculum & foeminam creauit eos, benedixitque illis & dixit: Creſcite & multiplicamini, & replete terram. Hic curſus*

(1) A. 2. b. & A. 3.

curſus & ordo naturae, mutatur in Conceptione Chriſti, per uoluntatem & uirtutem Dei, iuxta promiſſiones: Semen mulieris conteret caput ſerpentis, & Angelus de uirtute dicit: Virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Et ſic Chriſtus contra curſum naturae & contra totam Phyſicam, uerum naturale corpus accepit, ſimile noſtris corporibus, ſine peccato. - - Eodem modo naturae curſus eſt contra regulas phyſicas. Quod corpus naturale tantum uno loco & quidem certis ac dimenſis ſpatiis aut ſuperficiebus clauditur. Hic naturae curſus mutatur in Sacramento Coenae Dominicae, per Verbum, uoluntatem, & uirtutem Domini, manente natura, hoc eſt, manente uera naturali ſubſtantia corporis Chriſti. Verbum enim, uoluntas & uirtus Dei ſunt hic pro natura, ſupra curſum naturae, hoc eſt, ſunt cauſa, cur Corpus Chriſti naturale, & naturalis ipſius ſanguis contra naturae curſum, in Coena Chriſti ubique locorum pane & uino, iuxta ipſius inſtitutionem diſpenſantnr. (1) Corroborat porro ſaniorem in hoc argumento ſententiam, adductis praerogatiuis, quae Corpori Chriſti prae noſtris corporibus conueniunt, ſalua tamen manente ſubſtantia & ueritate eius corporis. Primam dicit eſſe uerba Seruatoris, de Corpore ſuo dicentis: *Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum,* & de Sanguine: *Bibite ex hoc omnes: Hic eſt Sanguis meus.* Quae quum de noſtris corporibus non ſint dicta, inſulſe argumentari Sacramentarios: Corpora noſtra non poſſunt eodem tempore eſſe in diuerſis locis, & quidem ſine dimenſis ſpatiis. Ergo hoc etiam Corpori Chriſti eſt impoſſibile. Recte enim hanc illationem negat, quum uerbum Chriſti diſſimilitudinem faciat, non quia natura mutatur, ſed omnipotentia Dei oſtenditur. Illuſtrat haec ſimilitudine a corpore PETRI & LAZARI deſumta. Illud iubente Chriſto ſuper mare ambulare potuiſſe, hoc uocante Chriſto, quarto die ex ſepulchro reſurgere. Quum uero corpora noſtra deficiente uoluntate omnipotentis Dei id non poſſint, inepte quendam inde argumentari, corpora PETRI & LAZARI non fuiſſe corpora ſimilia noſtris. Quemadmodum autem illorum corpora, licet contra naturae ordinem quaedam, iubente Deo, ſuſceperint, uera nihilominus corpora manſerunt, ſic ueram quoque manere naturam Corpo-*

(1) A. 7. ſeq.

Corporis & Sanguinis Chriſti aſſerit, etiamſi Chriſto haec ita uolente atque iubente, contra naturae ordinem in diuerſis locis pane & uino diſpenſentur. (1) *Alteram* eminentiam Corporis Chriſti dicit eſſe, perſonalem & indiſſolubilem unionem duarum naturarum in perſona Chriſti, (2) ſecundum quam Verbum non ſit ſine Carne, & Caro non ſit ſine Verbo. *Tertiam* glorificationem Chriſti in reſurrectione, adſcenſione in coelum, & ſeſſione ad dextram Dei. (3) Differit porro copioſe & docte, iuxta normam Scripturae Sacrae, de uariis praeſentiae Diuinae modis, & recte diſtinguit inter *praeſentiam Dei generalem*, qua coelum & terram implet, & *ſpecialem*, qua ſpeciali modo ſuis adeſt creaturis, & ſe illis reuelat & exhibet. Vtramque ſcripturae locis comprobat, & quemadmodum prior ex eſſentia Dei fluit, ita haec uerbo Dei nititur, & propter uirtutem & uerbum Dei eſt certiſſima. Ad ſpecialem igitur Chriſti praeſentiam refert illam, de qua hoc in libro diſputat, quando ſcilicet Chriſtus in ſua Coena praeſens eſt, & in pane ac uino Coenae, ſuum Corpus & Sanguinem exhibet & diſpenſat ad manducandum & bibendum. (4) Poſtquam in ſequentibus ad quasdam Sacramentariorum obiectiones reſponderat, quid ueteres per *ſacramentalem perceptionem* Corporis & Sanguinis Chriſti in ſacro hoc epulo intellexerint, exponit. Scilicet nihil aliud, quam in Sacramento, uel ſub Sacramento, in uſu ordinato Coenae Dominicae, edere & bibere Corpus & Sanguinem Domini in pane & uino. (5) Prouocat pro ſtabilienda uera ſententia ad conſenſum Patrum, quorum teſtimonia adducit, atque obſeruat, Patres etiam tunc, quando uocibus *figura*, *ſignum*, *myſterium*, utuntur, de uera tamen ſubſtantiali ac corporali praeſentia, diſtributione & acceptione Corporis & Sanguinis Chriſti loqui. (6) Notum eſt de MELANCHTHONE, quod aliquot ante obitum ſuum annis, non procul a Caluinianorum errore, quo Veram Corporis & Sanguinis Chriſti in ſacra Coena praeſentiam, & utraque cum pane & uino diſtribui, & ab indignis quoque ore corporis accipi negant, abfuerit. Minimum illos eſt adulatus,

(1) B. 2. (2) B. 2. b. (3) B. 5. b.
(4) C. 6. (5) D. 8. (6) F. 5.

latus, eorumque cauſae patrocinatus, & in litteris familiaribus ad illos exaratis ita mentem ſuam declarauit, ut eum partibus eorum fauere, euidenter appareat. Ex iis, quae occaſione motuum Bremenſium, a me poſt haec dicentur, id ipſum palam fiet. Quoniam uero Caluiniani ſubinde clamitant, MELANCHTHONEM ſemper ita ſenſiſſe, hincque magna audacia pronunciant, ſe ingenue uerbis Auguſtanae confeſſionis eiusque Apologiae ſubſcribere, in eo ſcilicet ſenſu, in quo Auctor huius Confeſſionis, quem ſolum MELANCHTHONEM fuiſſe perhibent, ea intellexit: Hunc uero eundem eſſe, quem ZVVINGLIVS, CALVINVS, eorundemque aſſeclae propugnant: Hinc operae pretium eſſe puto, oſtendere, MELANCHTHONEM ſub initium huius certaminis, & illo, quo Auguſtana Confeſſio eſt exhibita tempore, de uera Corporis & Sanguinis in Sacra Coena praeſentia, quemadmodum Lutherani eam docent, fuiſſe perſuaſiſſimum, illamque interpretationem, quae metaphoram in uerbis: *Accipite comedite: Hoc eſt Corpus meum*, &: *Bibite ex eo omnes: Hoc eſt Sanguis meus*, urget, quam maxime deteſtatum eſſe. Quod ſi factum eſt, recte contra Caluinianos monetur illos nequid quam MELANCHTHONEM ſibi uindicare ὁμόψηφον quum Auguſtanam Confeſſionem adornaret, & temere illos uociferari, ſe Auguſtanae Confeſſioni in eo, quo MELANCHTHON eam intellexit ſenſu, animo ſincero ſubſcribere. Non poſſum igitur non hoc loco uerborum MELANCHTHONIS mentionem facere, quae in libro hoc EITZENII occurrunt, ex quibus, quam conuictus in conſcientia MELANCHTHON tum, quum ea ſcriberet, de Vera praeſentia Corporis & Sanguinis in Coena fuerit, ſole meridiano clarius apparet. Ita uero MELANCHTHON ſcribit: *Clara & aperta teſtimonia* HILARII CTRILLI &c. *manifeſte affirmant: Corpus Chriſti adeſſe in Coena. Neque ullam ſatis firmam rationem inuenio, cur ab hac ſententia diſcedamus. Fieri poteſt, ut alia ſententia blandiatur otioſo animo, quae eſt magis conſentanea humano iudicio, praeſertim ſic inſtructa & ornata argumentis erudite excogitatis, ſed quid fiet in tentatione, quum diſputabit conſcientia, quam habuerit cauſam, diſſentiendi a recepta ſententia in eccleſia? Tunc iſta uerba: HOC EST CORPVS MEVM,* FVLMINA *erunt. Quid his opponet mens perterrefacta? Quibus ſcripturis, qua uoce Dei muniet ſe, ac ſibi perſua-*

perſuadebit, neceſſario fuiſſe hic interpretandam metaphoram? Non ſatis periti uidentur horum certaminum iſti, qui tam facile ſerunt noua dogmata, qui ſic delectantur ingenio, ut magis admirentur uafre cogitatas rationes, quam uerba ſcripturae. Ego ſcio, quam leuiter in tentatione excutiantur nobis e manibus rationes illae, diſſentientes a ſcriptura, quantumuis antea uiſae plauſibiles. Et accedit hoc in iſta controuerſia, quod uniuerſae eccleſiae, ac toti imperio minatur horribilem mutationem. Tanti ſcandali conſcientiam ſuſtinere, ſine claro & certo teſtimonio ſcripturae quis poſſit? Ego itaque ſequor ueteris eccleſiae ſententiam, quae adfirmat, adeſſe Corpus Chriſti in Coena, ac iudico, hanc habere ſcripturae teſtimonium. Non enim inueni firmam rationem, cur nomine Corporis in uerbis Coenae oporteat tantum abſentis Corporis Signum intelligi (1)

Quum Caluiniani uocibus *Sacramentum*, *Signum*, *ſacramentaliter*, quam ſaepiſſime ludant, iisque, ad incautos & ſimplices fallendos, abutantur, has illorum artes atque impoſturam detegit EITZENIVS ita ſcribens: (2) *Sacramentarii per has uoces, SACRAMENTVM, SIGNVM, SACRAMENTALITER &c. praeſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti prorſus excludunt e Coena, id, quod nunquam quisque ex orthodoxis Patribus cogitauit. Eccleſia & Patres ſacramentalem praeſentiam uocant & intelligunt praeſentiam ueram iuxta ſacramenti inſtitutionem & uerbum, in rebus ſeu ſignis uiſibilibus, non abſentis ſed praeſentis Chriſti, ſeu Corporis & Sanguinis ipſius. Sacramentarii uocant praeſentiam ſacramentalem, praeſentiam ſigni & uirtutis, ſine praeſentia ueri Corporis & Sanguinis Chriſti. Et re uera irrident Deum & homines, quando ad fallendos ſimplices dicunt aut ſcribunt, ſe credere & docere, quod Chriſti Corpus & Sanguis uere adſint in Coena, quod ſic probo: Sacramentarii aſſerunt: Corpus Chriſti non poſſe eſſe alibi, quam in Coelo, usque ad reditum in nouiſſimo die. Secundum aſſerunt: Carnem ſeu Corpus Chriſti in Coena eſſe inutile. Tertio aſſerunt: Verba Domini de ſuo Corpore & Sanguine in Coena, tantum eſſe intelligenda de figuris aut ſymbolis. Ergo certiſſime ſequitur, quando Sacramentarii dicunt aut ſcribunt, quod credant & doceant praeſentiam Corporis & Sanguinis Chriſti in Coena, tunc mentiuntur in cordibus ſuis, ut ſimplices fallant.* Nihil quoque ſolennius eſt ZVVINGLII atque CALVINI aſſeclis, quam quod uociferentur:

(1) V. haec uerba MELANCHTHONIS ab EITZENIO adducta Lit. F. 5. ſeq.
(2) L. 2. ſeq.

tur: LVTHERI ſententiam, docentis, Corpus & Sanguinem Chriſti in Sacra Coena praeſentia eſſe, & cum pane & uino diſtribui atque ore corporis ſumi, eſſe rationi abſurdam, hincque pro falſa atque erronea declarandam, cui nemo tuto adſtipulari poſſit. Quid uero efficacius ipſis, quam ſequentia MELANCHTHONIS uerba, cuius tanta penes ipſos eſt auctoritas, opponitur? Repetit ea in libro ſuo EITZENIVS, (1) & merito illuſtria uocat. Hanc uero tradit PHILIPPVS regulam: *Quum abſurditas impingit in alios clariores locos ſcripturae ſeu fidei articulos, corrigenda eſt beneficio figurarum. Sed ſi tantum impingit in rationem, non in ſcripturas, conuenit praeferre uerbum Dei iudicio rationis. Neceſſe eſt enim, certam eſſe ſententiam illorum locorum, unde dogmata & articuli ſumuntur. Quod ſi licet nobis, hos quoquo modo interpretari, deprauari poterunt omnia. Fuerunt olim aſtuti homines, qui hac ratione totam doctrinam Chriſtianam transformauerunt in philoſophiam. Hi iudicabant, Chriſtianos homines illitteratos, qui parum aſtuſte intelligerent ea, quae figurate ac tecte dicta eſſent, multa abſurda dogmata ſine cauſa amplexos eſſe. ABRAHAE mandatum eſt, ut circumcideret praeputium. Quis non irriſit inter Ethnicos? Neque tamen licuit illi, quum inſtitueretur ritus, aliud ſuſpicari, quam quod uerba ſonant. Homo aſtutus poterat diſputare, rem tam ridiculam nullo modo praecipi a Deo, ſed ſignificari, libidines eſſe coercendas & frenandas. Nullus autem locus ſcripturae proferri poteſt, qui teſtetur, Chriſtum non adeſſe in Coena, qui cogat interpretari uerba Coenae allegorice. Nec uſus eccleſiae ueteris cogit ea interpretari allegorice. Tantum repugnat uerbis abſurditas, quae impingit in iudicium rationis. Haec non eſt ſatis magna cauſa cur a uerbis diſcedamus. Si hoc genere abſurditatis patiemur nos abſtrahi a ſcripturis, nihil habebimus praeſidii in ulla tentatione. Sed recurrendum eſt ad ſcripturas, ubi, quum non inueniam teſtimonium, quod Corpus Chriſti neget adeſſe in Coena, aut interpretetur uerba Coenae aliter, quam ſonant uerba, non habeo rationem ſatis firmam, nouae ſententiae docendae, praeſertim, quae tanta ſcandala excitat, quae ego ſcio non poſſe perferri, niſi habeamus firma & certa teſtimonia.* Haec PHILIPPVS. Fui fortaſſis, ex nonnullorum ſententia, in recenſendo hoc libro, aliquanto prolixior. Verum, quum magno ab Auctore ſit conſcriptus ſtudio, quum res ex eo a me adductas ita

(1) I. 8.

comparatas esse existimem, ut non sine omni Lectoris fructu sint, aequi rerum aestimatores prolixitati qualicunque facile condonabunt. Testatur CONRADVS SCHLVSSELBVRGIVS, (1) hunc EITZENII librum, VITO VVINSHEMIO Seniori, Linguae Graecae, in academia Vuittenbergensi, Professori, a Zwinglianis alienissimo, ita placuisse, ut exempla ipsius plurima, sumtu suo, Hamburgo allata, Alumnis Electoralibus distribuerit, ac ad lectionem illius serio eosdem sit hortatus.

§. XVI.

Supereſt, quae ad hunc annum spectat, epistola IOACHIMI MORLINI ad EITZENIVM nostrum scripta, in qua, quae in Colloquio Vuormatiensi gesta sunt, exponit. Habitum id est A. clɔ lɔ LVII. inter Theologos Pontificios & Lutheranos. Quum uero hi inter se dissentirent, & alii aliis in Synergismi, Maiorismi, Osiandrismi, Adiaphorismi & Zwinglianismi suspicionem uenirent, quorum errores nonnulli condemnari uellent, factum est, ut Pontifici id animaduertentes callide proponerent, ut Augustanae Confessioni addicti illas sectas indicarent, quas pro genuinis huius formulae Augustae exhibitae sociis non agnoscerent. Saxonici igitur atque Brunsuicenses arbitrati sunt, se iam uersari in statu confessionis. Necessarium igitur esse, ut ea, quae Confessioni Augustanae contraria quidam Theologi docuerant atque in scriptis suis propugnauerant, indicarent & publice condemnarent. Hoc ipsum uero illis ab aliis, qui aderant Theologis Lutheranis, non concedebatur. Illis uero in sententia sua perseuerantibus, & condemnationem aliorum urgentibus hi ita restiterunt, ut illos a sequentibus congregationibus excluderent. Excluſi quidem tentabant semel atque iterum, an hanc exclusionem irritam facere possent. Quum uero non impetrarent, quod postulabant, intercesserunt, atque intercessionem suam ad acta reponi flagitabant. Sic uero Vuormatia discesserunt atque domum reuersi sunt. Omnium copiosissime haec

(1) L. IV. *Theol. Caluin.* p. 275. Conf. Io. MOLLERVS *In Isag. ad Histor. Cherson. Cimbr.* P. II. p. 178.

haec narrauit SALIGIVS. (1) Cuius relationem, quum prorſus conuenire uideam cum iis, quae MORLINVS in litteris ſuis paucis exponit, has ipſas ad rei geſtae ueritatem illuſtrandam atque confirmandam, quum quantum ſcio, nondum editae ſint, hic inſerendas eſſe, non inopportunum eſſe iudicaui. Ita uero ſe eaedem habent:

Reuerendo Viro, pietate & eruditione praeſtanti, D. D. PAVLO AB EITZEN, Superintendenti eccleſiae Hamburgenſis Vigilantiſſimo, & SS. Theologiae Doctori eximio,

Suo amico & in Domino Fratri,

Gratiam & pacem per Chriſtum. Quum nuper ex urbe Vangionum ſaluus & incolumis domum rediiſſem, & poſt dies non multos commodum accepiſſem nuntium, qui intra paucas tum horas Luneburgum eſſet abiturus, non potui intermittere, quin uno tantum & altero uerbulo ſaltem, Vos breui & ſuccincta oratione facerem certiores, de praecipuis cauſis, propter quas ea diſceſſio eſt facta. Nunc uero, quia plus habeo & otii & temporis, copioſius tibi narrabo totam illam actionem, reuerende & chariſſime in Domino Frater. Ea ſic habet. Statim ſub initium poſtulauimus nos infra ſcripti, ut ante congreſſum cum aduerſariis, inter nos, qui profitemur Auguſtanam Confeſſionem, fieret ſententiarum collatio, & diſerta condemnatio earum ſectarum, a quibus doctrina, in Auguſtana Confeſſione comprehenſa, hactenus miſere eſt conuulſa: Eiusque conſilii habuimus praeter alias & has grauiſſimas cauſas, quod non occulte, ſed palam profitebantur aduerſarii, ſe ſe effectu-

(1) in der Vollſtändigen Hiſtorie der Augſpurgiſchen Confeſſion P. III. L. IX. Cap. I. p. 289-341. Conf. inprimis §. XVI. p. 311. ſqq.

effecturos propter tot & tam diſſentientes ſententias, quae tamen omnes uno & eodem titulo eiusdem Confeſſionis ſe uenditant, ut nos mutuis conuitiis & criminationibus, quaſi gladiis, in publico conſeſſu confoderemus. Et tamen, quum noſtri hic uarias cauſas praetexerent, quare incommodum & intempeſtiuum hoc eſſe in praeſentia arbitrarentur, ac ſynodum noſtris promitterent, in qua poſt maturam deliberationem, recte cognitis cauſis, & ſingulorum auditis ſententiis, poſſet recta & legitima fieri a non tam paucis, ſed multis aliis quoque deliberatio; ne priuatis magis affectibus indulgere, quam publicae utilitatis habere rationem, aut etiam detrectare uideremur & fugere noſtrorum certaminum iudicia, nos tandem poſt longam & difficilem concertationem, praemiſſa proteſtatione, ita cum illis coniunximus, ut ſectarum & corruptelarum condemnationem, quae in noſtris ſcriptis & confeſſionibus exſtat, nobis & Eccleſiis noſtris integram ſeruare uellemus. Accidit autem non diu poſtea, ut nulla petulantia, nullo adducti noſtro affectu, ſed coacti ſumma neceſſitate, (ut acta Colloquii probabunt, quorum nunc propter impii iurisiurandi religionem (1) non licet meminiſſe,) dicere cogeremur noſtram ſententiam de ſectis & corruptelis. Hic quum ingenue uellemus liberare tam conſcientias, quam eccleſias noſtras, ab omni ſuſpicione & ſpecie mali, iuxta mandatum parati ad ſatisfactionem omni poſcenti, noluerunt nobis permittere noſtri Theologi, & maxime omnium Theologorum gubernatores, ipſi politici, ut damnaremus cum aliis ſectis (quas tum ipſi quoque antea damnauerant) Oſiandriſmum, Cinglianiſmum, Adiaphoriſmum & Maioriſmum. Quumque intelligerent, nos propter

(1) Iuramento ſcilicet ſe obſtrinxerant, ne quid in Colloquio geſtum ſit, aliis referrent, v. SALIGIVS l. c. p. 304.

propter tam graues cauſas & Dei mandata non mutaturos ſententiam, penitus tandem a Colloquio nos excluſerunt, ſcilicet reuerendum in Chriſto Patrem, & doctiſſimum & optime de eccleſia per multos annos meritum Virum, D. D. ERHARDVM SCHNEPFIVM, M. VICTOR. STRIGELIVM, M. Io. STOSSELIVM, Theologos piiſſimorum Saxoniae Principum, D. SARCERIVM & me. Itaque re cum Praeſidente communicata, quum poſt tentatas aliquas actiones, nobis reſponderet, ſe nos tueri non poſſe, ſecunda Octobris circa meridiem Vuormatia diſceſſimus. Quid ab eo tempore fecerint, faciunt, aut facturi ſint utrique, non ſcio nec etiam curo. Satis eſt nobis, nos illaeſam conſcientiam ex hoc aſpidum ſpecu reportaſſe. Petiit D. Praeceptor aliquoties, ut nobis condemnationem ſectarum permitterent ceteri, ſed reſpuebat BRENTIVS. Reliqui Theologi erant Senatores pedarii. Habes, chariſſime Frater, cauſam diſceſſionis noſtrae, quatenus eam ſine uiolationis iuramenti narrare licet. Meus eſt hic cruciatus animi, fore ſcilicet, ut breuius omnium opinione a nobis auferat ſincerum ſui uerbi auditum, oremus pro eccleſia, ut reliquiae ſaluae fiant, ne fiamus ut Sodoma. Chriſtus Te cum fratribus tibi collaborantibus ſeruet & gubernet. Amen. Ex Brunſuiga 19. Nouembris 1557.

Ioach. Morlin, D.

§. XVII.

Annus clo lo LVIII. ad quem progredimur, in memoriam nobis reuocat ea, quae cum IOACHIMO MAGDEBVRGIO, Verbi Diuini ad Diui Petri aedem, apud Hamburgenſes, Miniſtro, contigerunt. Quae, quum ita comparata ſint, ut certo reſpectu ad EITZENIVM etiam ſpectent, non plane ſilentio praetereunda eſſe putaui. De huius MAGDEBVRGII uita & fatis nec non ſcriptis ab

ipſo editis, tam docte, accurate & copioſe, ut ſolet, egit Celeb. & Ven. BERNHARDVS RAVPACHIVS, (1) Fautor & Collega meus aeſtumatiſſimus, ut nihil fere ſciam, quod ab ipſo ſcriptis addere poſſim. Quum uero MAGDEBVRGII quaedam fata ad hiſtoriam ſacram Hamburgenſem neceſſario referenda ſint, & ad res EITZENIANAS illuſtrandas faciant, repetam ea, quae ibi occurrunt in tantum, quantum inſtituti mei ratio id requirit. Natus is erat Gardelebiae, ciuitate in ueteri Marchia ſita A. clo lo XXV. Nondum uigeſimum aetatis ſuae compleuerat annum, quum iam ad docendum coetum ſcholaſticum Schoningenſem requireretur. Poſt, Dannebergenſis, & A. clo lo XLIX. Saltzwedelenſis Paſtor eligebatur. Verum ob puriorem doctrinam, quam nullis ceremoniis, idololatriam Pontificiam redolentibus, inquinare uolebat, intrepido animo defenſam, etiam hinc ſeueriori IOACHIMI II. Electoris Brandenburgici interdicto, ne, niſi laquei poenam incurrere uellet, ditiones ſuas unquam ingrederetur, expulſus eſt. Factum id eſt A. clo lo LI. Sic uero exul factus Hamburgum ſe conferebat, ubi A. clo lo LII Doctoris publici munus ad Diui Petri aedem ipſi eſt demandatum. Verum uix ſeptem annos hoc officio functus erat, quum iam ab eodem remoueretur. Cauſae remotionis in tabulario Sacri ordinis Hamburgenſis ſequentes indicantur: (2) *Prima* eſt, quod inter ipſum atque Paſtorem eius perpetuae rixae fuerint, quarum

(1) In Presbyterologia Auſtriaca p. 103. ſqq. Conf. etiam eius *ſupplementum* ad hanc Presbyterologiam p. 62. ſq.

(2) In *Actis Miniſterii* Tomo II. haec annotata ſunt: Anno 1558. 25 May am Mitweken vor Pingſten hebben de Kerckſchwaren to St. Peter ehren Caplan, Herr Jochim, uth Befehl enes Erbaren Rades erlövet, vnd eme düſſe dre Orſaken angevöget. 1. Dat he ſick nemals mit ſinen Paſtorn verdragen konnen, vnd wen he ſchon mit em verdragen was, dennoch allerley Vnrowe gegen em vorgenamen hadde. 2. Dat he Enes Ehrbaren Rades Befehl, ſo em van ſinen Predigen angetöget was, verachtet. 3. Dat it ſick lete anſehen, als wolde he ſick ock wedder den Superintendenten vplehnen. His additur: Dat överſt Herr Jochim allerley beſchwerlicke Predigen gedan hebbe, ock Schrifften an den Dag gegeben gegen den Herrn Philippum vnde de gantze Univerſität Wittenberg, is nicht heimlick.

rum culpa in ipſum deuuoluitur. *Altera*, quod mandato Ampliſſimi Senatus, ipſi ob conciones ſuas dato, non obtemperauerit. *Tertia*, quod uideretur ipſe etiam Superintendenti ſe oppoſiturus. His additur: Dominum IOACHIMVM in concionibus ſuis multa, quae non probari poſſunt, propoſuiſſe, & ſcriptis ſuis Dominum PHILIPPVM oppugnaſſe, palam eſt. MAGDEBVRGIVS uero, remotionis ſuae cauſas expendens, ſcribit, (1) ſe nunquam rixarum, quae ſibi cum Paſtore ſuo obuenerunt, cauſam atque Auctorem fuiſſe; imo has ipſas dudum ante remotionem ſuam compoſitas fuiſſe, hincque pro cauſa remotionis ab officio non potuiſſe uere allegari. Alteram inculpationem ſilentio praeterit. De tertia uero ita perorat: Se ob librum ſuum, quem de ueteri & nouo Chriſto conſcripſerat, officii ſui iacturam feciſſe, ſuaſore & Auctore Superintendente PAVLO EITZENIO, non, quod in libro quaedam puriori doctrinae contraria occurrerent, ſed quod forma & inſcriptio libri Praeſuli EITZENIO diſplicuiſſet. Omitto ea, quae pro innocentia ſua MAGDEBVRGIVS porro affert, & ſubſcribo ſententiae Ven. RAVPACHII ſtatuentis, ueram diſſenſionis EITZENIVM atque MAGDEBVRGIVM inter cauſam fuiſſe prolixam illius erga MELANCHTHONEM uoluntatem, de quo ſemper bene ſperabat, quem & quauis data occaſione defendebat, huius uero ſuſpicionem MELANCHTHONEM ueritatis proditorem eſſe, & Sacramentariis fauere atque patrocinari. Hinc fiebat ut in MELANCHTHONEM & pro concione & ſcriptis inueheretur & FLACII contra eum zelum ualde probaret. Neque a ueritate aliena ſunt, quae laudatus Collega meus Dominus RAVPACHIVS, ex ſcripto quodam manu exarato ueteri adducit. (2) Scilicet MAGDEBVRGIVM anno clɔ lɔ LVIII. librum, quem *Aſinarium*, den Eſeltreiber inſcripſit, edidiſſe, in quo PHILIPPVM condemnauerit, FLACII uero contra eundem cauſam iuſtam pronuntiauerit. Ideo uero a Senatu

(1) In praefatione eius confeſſionis, quam de fide atque doctrina ſua conſcripſit, & A. clɔ lɔ LXVII. in 4. edidit. Lit. E. ii. ſeqq.

(2) Integras lege ſi placet in Additamentis Num. V. & in Bibliotheca Danica P. IV. p. 195. ſq.

addicendam cauſam ſuam in ius uocatum ipſique imperatum eſſe, ut in poſterum ab his abſtineret. Apparet id ex literis EIITZENII ad VOLQVARDVM IONAE hoc ipſo anno ſcriptis, in quibus non tantum libri huius mentionem iniicit, ſed etiam Pasquillum uel librum in famam MELANCHTHONIS iniurium uocat. Refert, ſe ſimulac illum uiderit, a Senatu flagitaſſe, ut eius uenditio prohiberetur, quod etiam factum ſit. Ita ſcilicet EITZENII uerba in iam memorata epiſtola ſe habent: *Fortaſſis ad Vos uenit libellus, uel potius Pasquillus* MAGDEBVRGII *noſtri contra Dominum* PHILIPPVM. *Scio, quod iſte Pasquillus multos offendit non immerito. Quare ut & Senatum & me poſſis excuſare, ſcias me iſta hora, qua uidi Pasquillum, ſtatim a Magiſtratu poſtulaſſe, ut uenditio prohib retur, quod etiam factum eſt. Mitterem tibi, ſed quia non probo, & prohibitionem poſtulaui, ideo ipſe ad neminem mittere uolo. Hic ſunt certamina de iſto ASININO Pasquillo, ſed Deus adſit mihi, & me ſuo Spiritu regat, ut maneam in uia ipſius & ſeruiam eccleſiae aedificationi, in ueritate uerbi Diuini & ſtudio uerae pacis.* Litterae datae ſunt A. clɔ lɔ LVIII. Sabbato ante Eſto mihi. (1) Ex his EITZENII litteris diſcimus, hunc MAGDEBVRGII librum certaminibus in eccleſia Hamburgenſi agitatis anſam dediſſe. Scribit enim: *Hic ſunt certamina de iſto ASININO Pasquillo.* Defendit nempe ſine dubio MAGDEBVRGIVS, quae ſcripſerat. Et quum non deeſſent ex ſacri ordinis Viris, quibus etiam MELANCHTHONIS tepor erga Sacramentarios diſpliceret, ueriſimile admodum eſt, illos cauſam IOACHIMI aduerſus EITZENIVM tuitos eſſe. Apparet id ipſum ex iis, quae Io. MOLLERVS ſcribit. (1) *Ab anno, qui* AEPINO *fuit emortualis*; clɔ lɔ LIII. *ad epocham usque libri Concordiae, eccleſiam Hamburgenſem continua fere Theologorum MOLLIORVM, quos PHILIPPISTAS, & RIGIDIORVM, quos FLACIANOS appellabant, turbauere diſſidia. Inter iſtos, (uti ex MSto, quod penes me olim fuit epiſtolarum ad* PAVLVM AB EITZEN *a Miniſtris Hamburgenſibus aliisque ſeculi ſuperioris Theologis ab* A. clɔ lɔ LXII. ad A. clɔ lɔ XCII. *ſcriptarum Volumine ſum edoctus) eminebant* THEODORICVS IVRGENS, *Paſtor Nico-*

(1) in *Iſag. ad hiſt. Cherſ. Cimbr.* P. IV. p. 579.

Nicolaitanus, IOACHIM DEGENER, *templi Cathedralis Antiſtes*, FRANCISC. BARINGIVS, *Diaconus Petrinus*, M. HERM. BRVGGEMANN, *Eccleſiaſtes Iohannaeus*, & *reliquorum Anteſignanus* D. PAVLVS AB EITZEN, *Superintendens: Quo Hamburgi uiuente, uti pares aduerſariis fuere, ita illo in Holſatiam* A. clɔ lɔ LXII. *digreſſo, iisdem coeperunt ſuccumbere. RIGIDIORVM (quibus inprimis annumerandi* IO. CRVSIVS, *P. Petrinus*, IO. BODEKERVS, *Parochus Iacobaeus*, GEORGIVS *item* TAPPIVS, *Catharinaeae*, & IOACHIMVS MAGDEBVRGIVS, *Petrinae aedis Diaconi*,) *Promachus fuit* IOACHIMVS VVESTPHALVS, Cetera. Non leuia hoc tempore inter ordinis Sacri Viros in urbe noſtra certamina fuiſſe inde quoque intelligo, quod EITZENIVS horum pertaeſus de mutando officio ſuo cogitauerit. Teſtatur id ALBERTVS MAIOR in litteris ad IO. PISTORIVM A. clɔ lɔ LVIII. die Viſitationis Mariae datis, in quibus haec occurrunt: *Scripſit mihi quidam affinis meus, relatum ſibi eſſe*, D. PAVLVM VON EITZEN *renunciaſſe officio ſuo, ob inteſtinam Fratrum diſſenſionem, an uero dimiſſus ſit, nec ne incompertum eſt.* Si quid igitur iudico, hoc ipſo libello ſuo, quem *Aſinarium* inſcripſit MAGDEBVRGIVS, & in quo MELANCHTHONEM ab EITZENIO adamatum laceſſiuit, remotionem ſuam ab officio, quo hactenus Hamburgi functus erat, maturauit. Maluit enim Senatus Hamburgenſis MAGDEBVRGIVM quam EITZENIVM dimittere. (1)

§. XVIII.

A. clɔ lɔ LIX. EITZENIVS cum Collega ſuo IOACHIMO VVESTPHALO Moloniam profectus eſt, ut cum Theologis a Magiſtratu Lubecenſi & Luneburgenſi deputatis, ea, quae in conuentu Principum Francofurtano anno clɔ lɔ LVIII. habito, circa religionem decreta erant, pie expenderent. Quum enim anno iam memorato

(1) RHETMEYERVS *in Hiſtor. Eccleſ. Brunſuicenſ.* P. III. p. 234. obſeruat, A. clɔ lɔ LVIII. circa Epiphaniam Theologos ex finitimis ciuitatibus Hanſeaticis Brunſuigae conueniſſe. Quum uero mihi non conſtet, an ab Hamburgenſibus quidam etiam adfuerint, nolui incertus hac in re aliquid definire.

morato Electores atque Principes imperii Germanici Francofortum se contuliſſent, coronationi FERDINANDI Imperatoris interfuturi, illi, qui Auguſtanae Confeſſioni addicti erant, inuicem colloquebantur, de diſſidiis inter Theologos ſuos exortis, & qua ratione illa quam optime componi poſſent. Nouerant criminationes Pontificiorum, gloriantium, Auguſtanam Confeſſionem multas nouas ſectas procreaſſe; animaduertebant his Theologorum rixis piorum animos offendi, & puriori doctrinae irreparabilem noxam contrahi. Edocti erant, quomodo Pontificii in Colloquio Vuormatienſi, anno praecedenti habito, haec diſſidia Theologis Lutheranis exprobraſſent, & recuſaſſent cum illis, qui, Saxonicis a congreſſibus excluſis, remanſerant, colloqui, obiicientes, ſe cum illis de doctrina in Auguſtana Confeſſione propoſita conferre non poſſe, quum ab aliis Lutheranis pro genuinis Auguſtanae Confeſſionis Sociis non haberentur, ſed accuſarentur, quod ab ea defeciſſent. Haec omnia, quum in opprobrium & detrimentuum coetuum Proteſtantium uergerent, ſolliciti fuere quidam Principes Francofurti congregati, de adminiculis, quibus haec certamina tolli, & disiuncti Theologorum animi ad concordiam reuocari poſſent. Opportunum igitur ipſis uiſum eſt, ut quaedam doctrinae capita conſignari curarent hactenus inter Theologos quam maxime controuerſa, illisque ſubſcriberent, eaque ad alios Principes & ſtatus in doctrina ſecum conſentientes mitterent, expetituri ab illis, ſi illa probarent, ut haec ipſa normae inſtar haberent, ad quam doctrina inſtitueretur, nec admitterent, ut in ditionibus ſuis quidquam illis contrarium uel ore uel calamo doceretur. Committebatur igitur MELANCHTHONI, ut formulam quandam compoſitionis adornaret ita comparatam, ut ad tollenda diſſidia apta eſſet. Huic die XVIII. Martii ſubſcripſere Principes Auguſtanae Confeſſionis Socii, qui Francofurti conuenerant, tres ſcilicet Electores AVGVSTVS Saxo, IOACHIMVS Brandenburgicus, & OTTO HENRICVS Palatinus, una cum WOLFGANGO Palatino, CHRISTOPHORO Vuirtembergico, & PHILIPPO Haſſiae Landgrafio. Ita uero MELANCHTHON hanc formulam, quae decretum ſiue Receſſus Francofurtanus nominabatur, confecerat, ut praecipue in capite de Sacra Coena, ambiguis dictionibus uſus eſſet. Sic uero &

Zvvin-

Zvvinglianorum, qui eo tempore *Sacramentariorum* nomine a recte sentientibus distinguebantur, gustui attemperata erat, qui, quoniam errores suos sub eadem tegere poterant, eidem siquidem id ab illis postularetur, subscribere non dubitabant. Immo Theologi Darmstadienses obseruant, ipsi CALVINO hunc Recessum Francofurtatanum non displicuisse, quod in litteris ad summum quendam Imperantem scriptis professus sit. (1)

§. XIX.

In praefatione huius decreti exponunt Principes causas, cur de quibusdam doctrinae capitibus de nouo confessionem suam ediderint, ut scilicet iis os obturetur, qui per calumniam sibi imputarent, quod ab Augustana Confessione defecerint. Omnium minime autem id eo fieri consilio, ut noua a se confessio publicae luci exponeretur, quin potius ueteri inhaererent, & illi doctrinae adstipularentur, quae in Propheticis & Apostolicis scriptis ueteris & noui instrumenti, in tribus Symbolis, in Augustana Confessione eiusque apologia, tradita atque explicata est. Quum uero de quibusdam doctrinae capitibus, a tempore Augustanae Confessionis, in coetu Protestantium disputatum sit, se quidem neminem in hac uel illa sententia ab aliis discrepantem inauditum condemnare, nihilominus tamen ea repetere uelle, quae suo loco in Augustana Confessione explicata sint. Et quum potissimum in quatuor capitibus ecclesiarum Doctores a se inuicem dissenserint, I. in doctrina de iustifi-

(1) In der Special-Widerlegung p. 431. Exstat decretum hoc Francofurtanum in LVNIGII Reichs-Archiv Contin. I. *continuationis partis generalis* f. 44. sqq. Conf. & Vener. VAL. ERN. LOESCHERI *historia motuum* P. II. p. 119. sqq. BVRC. GOTTH. STRVVII Pfältzische Kirchen-Historie p. 63. sqq. OTTONIS FRID. SCHVTZII *Vita* DAV. CHYTRAEI, L. I. p. 174. sqq. STARCKII Lübeckische Kirchen-Historie p. 149. sqq. & CHRISTIAN AVGVST SALIGIVS in der vollständigen Historie der Augspurgischen Confession P. III. p. 363-374. Cuius tamen sententiae, quando de momento controuersiarum Theologicarum iudicat, parum aut nihil tribuendum est. Alios malae notae historicos HOSPINIANVM scilicet atque ARNOLDVM hic adducere non placet.

iuſtificatione, II. de neceſſitate bonorum operum ad ſalutem, III. de Sacra Coena, IV. de adiaphoris, Electores atque Principes, quomodo de illis docendum ſit, decreuiſſe. Haec uero decreta ſynodi Francofurtanae Theologis meliorum partium diſplicuerunt. Inprimis illis non faciebant ſatis, quae de Sacra Coena MELANCHTHON ſcripſerat. (1) Nolo ea commemorare, quae aliarum ditionum Theologi monuerunt. Id uero non reticere poſſum, quod a Theologis Miniſterii Tripolitani Moloniae congregatis eſt obſeruatum. Scriptum ipſum obſeruationes has complectens, exhibet STARCKIVS (2) ſub hac inſcriptione: Des Miniſterii tho Lübeck, Hamborch, vnd Lüneborg Bedencken van den ver Artikeln thor Concordia van Chur- vnd Fürſten vorgeſtellet. In hoc ſcripto laudant, quod error Pontificiorum, transſubſtantiationem panis & uini in Sacra Coena, in Corpus & Sanguinem Ieſu Chriſti ſtatuentium, claris atque perſpicuis uerbis reiiciatur. Concedunt quoque, uerba Confeſſionis in doctrina de Sacra Coena, niſi certamina de hoc argumento mota fuiſſent, per ſe & extra diſputationem bona eſſe: Verum quum Sacramentarii ſub iisdem latere poſſint, melius

(1) Verba receſſus Francofurtani, quod ad hoc doctrinae caput attinet, ita ſe habent: Vom Heiligen Abendmahl ſol gelehret werden, daß Chriſtus wahrhafftig, lebendig, weſentlich zugegen ſey, auch mit Brodt und Wein uns Chriſten ſeinen Leib und Blut zu eſſen und zu trincken gebe, damit bezeugend, daß wir ſeine Gliedmaſſen ſeyen, ſich uns applicire, und ſeine gnädige Verheiſſung in uns wircke, nach Hilarii Redens-Art. Paulus und Hilarius reden von der Nieſſung. Das Brodt iſt die Gemeinſchafft mit dem Leibe Chriſti, und kan das nicht auſſer der Nieſſung verſtanden werden. Alle Sacramente haben ein irdiſches und himmliſches Ding. Die Natur des Brodts bleibt, aber mit den Elementen werden die Gaben, nemlich der Leib und das Blut Chriſti gegeben. Hiebey wird die Brodt-Verwandelung und das Meß-Opfer verworffen und letzlich geſaget: Daß auch etliche allein dieſes ſagen, daß der Herr Chriſtus nicht weſentlich da ſey, und daß dieſes Zeichen allein ein äuſſerliches Zeichen ſey, dabey die Chriſten ihr Bekenntniß thun, und zu erkennen ſind, dieſe Rede iſt unrecht. Conf. SALIGIVS l. c. p. 366.

(2) l. c. p. 193-196. quod ipſum etiam EITZENIVS atque VVESTPHALVS nominum ſuorum ſubſcriptione approbauerunt.

lius fuiſſe iudicant, immo neceſſarium, ut noſtra doctrina, ad normam Auguſtanae Confeſſionis eiusque apologiae, articulorum Smalcaldicorum, Catechiſmi, aliorumque ſcriptorum LVTHERI, clarius eſſet expoſita, atque a Sacramentariorum erroribus diſtincta, quos ipſos neruoſius adductos fuiſſe optant, ut omni nouae diſputationi anſa praeſcindatur. Diſplicet quoque iis uerborum PAVLI 1. Cor. X. 16. translatio, quod *panis ſit communicatio cum corpore Chriſti*, ita potius reddenda: *Panis eſt communicatio Corporis Chriſti*. Sacramentarios enim priorem translationem ad palliandum ſuum errorem ſibi uindicare poſſe, & uerba intelligere de ſola communicatione fructus & ſpiritualis unionis cum Chriſto. Cetera in ſcripto ipſo poſſunt euolui. Exſtat quoque in Actis ordinis noſtri breuis deſignatio defectuum, receſſui Francofurtano adhaerentium, cuius EITZENIVM auctorem eſſe non dubito. In ea poſtulatur, ut in antitheſi de miſſa Pontificia ponatur: Omnes caerimonias Papales neque ad doctrinam, neque ad neceſſarium ornatum, neque ad aedificationem quidquam facientes, quales ſint monſtrantiarum circa aedes ſacras geſtatio cum clamore, non ferendas eſſe. Repugnare enim eas uerbis Apoſtoli 1. Theſſ. V, 21. *Ab omni ſpecie mali abſtinete*. Improbatur porro, quod generales tantum locutiones, a quibus ipſi Zvvingliani non abhorrent, in hoc ipſo receſſu occurrant. Id ipſum enim, quod Chriſtus in Sacramento Coenae uere & uiuus & eſſentialiter praeſens ſit, & Zvvinglianos concedere. Hinc requiritur, ut perſpicuis exprimatur uerbis, quod Chriſtus nobis uerum Corpus ſuum uerumque Sanguinem ſuum, quemadmodum dixit atque promiſit, ad edendum atque bibendum exhibeat. Neceſſarium quoque iudicatur, ut LVTHERI ex Catechiſmo minori definitio adducatur, quae ita ſe habet: *Sacramentum Altaris eſt uerum Corpus & uerus Sanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſub pane & uino, nobis Chriſtianis ad manducandum & bibendum ab ipſo Chriſto inſtitutum*. Monendum quoque eſſe dicitur, de modo praeſentiae non ex ratione & Philoſophia diſputandum, ſed ſimpliciter & cum fiducia uerbis Chriſti inhaerendum eſſe, quibus & ueritas & uirtus tribuenda ſit. PAVLI uerba, in quibus *κοινωνίας* mentionem iniicit, ita interpretanda eſſe, ut Apoſtolum de participatione, exhi-

bitione & fruitione uel acceptione loqui ſtatuatur, quum notum ſit, Zvvinglianos his uerbis, ſine recta interpretatione poſitis, abuti ſolere. Optat quoque deſignationis huius auctor, ut uera quam de Sacra Coena profitemur ſententia, aliquot claris ex Patribus teſtimoniis muniatur. Neque generalis illa dicendi ratio probatur, qua in decreto Francofurtano dicitur: Filium Dei ſe nobis applicare. Quum enim & Zvvingliani id ipſum profiteantur, de Dei atque Mariae Filio id aſſeuerandum eſſe. Improbatur quoque antitheſis admodum lubrica atque debilis. Requiri enim, ut exſertis uerbis Zvvinglianorum doctrinam falſam eſſe dicatur. Docere enim quosdam: Panem & Vinum in Sacra Coena tantum eſſe ſigna Corporis Chriſti abſentis: Adeſſe tantum Virtutem atque effectum Corporis & Sanguinis Chriſti in Sacra Coena: Verbum *Eſt* nihil aliud inuoluere, quam *Significat*: Seiungere a ſe inuicem promiſſionem atque externam actionem, quum tamen utraque in Sacro hoc epulo coniuncta ſint: Negare, quod indigni Corpus atque Sanguinem Chriſti accipiant. In his nempe cardinem controuerſiae nos inter atque Zvvinglianos uerti. Haec igitur perſpicue eſſe ediſſerenda; LVTHERO quoque teſtimonium dandum eſſe, quod in ſcriptis ſuis ſolide Sacramentariorum errores confutauerit, immo haec ipſa LVTHERI ſcripta commendanda eſſe, ut ex iis, quid de Sacramentariis ſtatuendum ſit, intelligatur. In gratiam ſimpliciorum quoque breues quidem, ſed graues & neruoſas rationes opponendas eſſe, cur doctrinae de Sacra Coena quemadmodum a LVTHERO expoſita eſt, inſiſtamus. Poſtremo monetur, quod in Francofurtano receſſu doceatur, promiſſionem in Sacra Coena applicari. Quum uero ſcriptura de remiſſione peccatorum id ipſum ſpeciatim teſtetur, hoc etiam quod remiſſio peccatorum applicetur, exſertis uerbis exprimendum eſſe. (1) Circa hunc annum clo lo LIX obſeruari amplius meretur, ciuitatem noſtram per publicum decretum Caeſaris, conſentientibus omnibus imperii Statibus, pacis, religionis cauſa ſancitae, compotem factam, & in participationem iurium

(1) Exſtat hoc ſcriptum in *Actis Miniſterii Hamb.* Tomo III. *Additamentis* N. VI. inſerendum.

iurium atque priuilegiorum, quae ex hac ipſa pace fluunt, admiſſam fuiſſe. (1) Sic uero lis a Capitulo Hamburgenſi, a tempore Sacrorum Hamburgi repurgatorum, Ciuitati illata, & hactenus coram iudicio Camerali Caeſareo acta, deferueſcebat & ſuſpendebatur, quae tandem anno clɔ lɔ LXI. plane ceſſauit, placida inter utramque litigantium partem compoſitione Bremae eo ipſo anno facta. (2)

§. XX.

Annus clɔ lɔ LX. memorabilis primum eſt, ob commentarium in Geneſin, qui, EITZENIO Auctore, hoc ipſo anno in forma octaui ordinis prodiit, Francofurti impreſſum. Dicitur hic Liber primus. Illuſtrauit ſcilicet in eo tantum XXV. priora Geneſeos capita. Quanquam librum ſecundum unquam editum eſſe non memini. Miſerat Auctor hos ſuos in Geneſin labores, antequam eos publici iuris faceret, Praeceptori ſuo MELANCHTHONI, eius ſententiam ſibi expetiturus, quid ipſi de iis uideretur. Qui quum ſcriptum remiſiſſet, atque quod ſibi placeret, indicaſſet, EITZENIVS id prelo committere non dubitauit. Apparet id ex uerbis in dedicatione libri, ELISABETHAE Angliae Reginae facta, occurrentibus, quae ſic ſe habent: *Quum autem Reuerendus & Clariſſimus Dominus* PHILIPPVS MELANCHTHON, *fidelis Collega Sancti Viri Domini Doctoris* LVTHERI, *& communis noſter Praeceptor, hanc qualemcunque interpretationem probaret, cuius iudicium ego magni facio & ueneror, dedi eam typographo euulgandam.* In hac ipſa dedicatione quoque non obſcure indicat, ſe quasdam controuerſias Theologicas, quae illo tempore agebantur, pro non neceſſariis habere. Sic enim ſcribit: *Etſi enim mihi nihil arrogo, tamen & apud coaetaneos & apud poſteros, malo hoc teſtimonium extare, quod libentius ſincerae interpretationi ſcripturae incumbere, quam non neceſſariis rixis & tempus perdere, & eccleſiarum aedificationem impedire uoluerim.* Quum EITZENIVS non expreſſe-

(1) V. Verſuch einer zuverläßigen Nachricht von dem Kirchlichen und Politiſchen Zuſtand der Stadt Hamburg P. II. p. 283. ſq.

(2) l. c. p. 284.

preſſerit, quas controuerſias pro non neceſſariis habuerit, nolo inueſtigare, quo fundamento haec ab eo ſcripta ſint. Id interim certum eſt, ſi unquam, certe illo tempore neceſſarium fuiſſe, ueritati undique oppreſſae inuigilare, atque falſis fratribus, qui ſub pacis reſtituendae uel conſeruandae ſpecie, erroribus noxiis & pernicioſis patrocinabantur, & ore & calamo reſiſtere. Ex commentario ipſo quaedam ſpeciminis loco adducere iuuat. Ad Geneſ. I, 8. haec occurrunt: *Quaeri ſolet de cauſa, cur de opere ſecundi diei non dicat Moſes: Vidit Deus, quod eſſet bonum? Excogitatae ſunt*, inquit EITZENIVS, *ab interpretibus plures cauſae, ſed recitabo tantum duas, quae, licet cum ceteris carent certo fundamento ſcripturae, tamen non ſunt ineptae. Vna eſt, quod diſtinctio aquarum primum completa eſt tertia die. Ideo putant quidam, Moſen eo die bis ponere hanc particulam: VIDIT DEVS, QVOD ESSET BONVM, atque priorem ſimul ad opus ſecundi diei reſpicere. Altera cauſa eſt, quod exiſtimant aliqui, ſecundo die lapſos eſſe Angelos, & propter iſtum horribilem lapſum, qui eſt cauſa omnis mali, omitti hoc loco iſtam particulam.* (1) Poſtquam Geneſ. III. de lapſu hominis egiſſet, inquirit, quomodo ſit impleta comminatio Diuina: Morte moriemini, quum non ſtatim corporaliter ſint mortui ADAM & EVA? *Reſponſio eſt*, inquit, *in dicto* PAVLI: *Per unum hominem intrauit peccatum in mundum, & per peccatum mors. Mors non tantum ſignificat ſeparationem animae a corpore, ſed ſimul etiam ſignificat abalienationem animae a Deo, & reatum ſeu condemnationem ad mortem cum aliis poenis. Sicut fide Ieſu Chriſti uere accipimus uitam aeternam, iuxta dictum: Qui credit in Filium, habet uitam aeternam. Item: Non morietur in aeternum: Tranſiuit de morte in uitam: Ita* ADAM & EVA *uere ſunt mortui iuxta comminationem: Morte morieris.* (2) Ad Geneſ. III. 7. Meditationes de nuditate primorum Parentum, quam tum animaduertebant, inſtituit. *Nuditas*, inquit, *ante peccatum neſciebatur, id eſt, non curabatur, quia gloria fuit incedere homines nudos. Fuit enim ſignum originalis iuſtitiae, innocentiae & rectitudinis in mente, uoluntate, ſenſibus, affectibus, & in omnibus membris ac organis, hoc eſt, in tota natura. Hic fuit elegantiſſimus ornatus creaturae Dei. Poſt peccatum nuditas fuit pudenda, hic pudor ſignum eſt, quod illa originalis iuſtitia*

(1) p. 19. (2) p. 86.

iuſtitia, innocentia, & rectitudo, ex mente, uoluntate, ſenſibus, affectibus, organis, membris, & tota natura amiſſa eſt, & quod ſucceſſit pudenda deprauatio, deformitas, caligo, contumacia, ἀταξία in tota natura. Videbant ſe eſſe nudos, id eſt, curabant ſuam nuditatem, & propter eam erubeſcebant. (1) Neque inconcinna obſeruatio eſt, quam occaſione uerborum Geneſ. VI, 22: *Fecit igitur Noë omnia, quae praeceperat ei Dominus*, inſtituit EITZENIVS. Sic enim ſcribit: *Obedientia Noah commendatur, quae eſt fructus fidei. Obſeruandum eſt, quod Noah non tentat Dominum talibus cogitationibus. Si Deus me uult ſeruare, poteſt hoc facere ſine arca, ſiue cibo &c. Potuiſſet quidem Dominus ſic ſeruare Noah, ſicut Ionam in uentre coeti ſeruauit: Verum Deus mediis utitur, non ſolum arca, ſed etiam cibo, quem uult in arcam comportari, & Noah utitur iſtis mediis. Dominus enim ſic uoluit eum ſeruare, & non aliter. Haec obſeruatio utilis & neceſſaria eſt, & non tantum accommodanda ad media corporalia huius uitae, ſed etiam ad media illa, per quae Deus in nobis operatur fidem & ſalutem, hoc eſt, ad auditionem uerbi, & uſum Sacramentorum, & ad inuocationem. Qui haec media contemnunt, tentant Dominum, quemadmodum Noah uere tentaſſet Dominum, ſi fabricationem arcae, ingreſſionem in arcam, & ciborum comportationem neglexiſſet, & in illa tentatione & peccato merito periiſſet cum ceteris.* (2) His addam, quae ad Geneſ. XI. commentatur, ita differens: *Illud obſeruatione dignum eſt, quod Moſes antea Cap. V. in deſcriptionibus talibus ſolitus fuit addere particulam: Et mortuus eſt, niſi de ſolo Henoch. In hoc autem Capite prorſus eam particulam omittit, niſi de Aram & Thare. Ratio procul dubio haec eſt. Antea addidit illam clauſulam, ut tanto illuſtrius & conſpectius exemplum reſurrectionis eſſet & futurae uitae, quod Deus primo mundo in perſona Henoch propoſuit. Illud uoluit Moſes celebrare, ut etiam non attentus lector, quum de reliquis omnibus legit: Et mortuus eſt, in uno Henoch reſiſtat, de quo non dicitur: Et mortuus eſt, ſed tulit eum Dominus, & cogitet, quo eum tulerit? ubi ſit? & quid agat? Haec cogitatio deducit lectorem ad certam ſpem immortalitatis, & eius uitae, quae non coram mundo, ſed coram Deo eſt. Nunc autem omittit illam clauſulam, ut cogitet & ſciat lector, promiſſionem uitae aeternae communem eſſe omnibus credentibus, ſiue rapiantur a Domino,*

(1) p. 87. (2) p. 233. ſq.

ſicut Enoch & Elias ſiue naturali morte decedant. (1) Haec ſpeciminis loco ex hoc commentario annotaſſe ſufficiant.

§. XXI.

Inteſtina inter Praecones, coetibus Sacris praefectos diſſidia hactenus eccleſiam Hamburgenſem maxime turbauerant. Nonnulla iam de illis adduxi §. XIX. Partim his anſam dederant Theologi quidam *molliores*, MELANCHTHONI addicti, & de illo, quidquid etiam moliebatur, quod ipſum in ſuſpicionem prodendae ueritatis merito adducere poterat, ſemper bene ſperantes. Quibus ab altera parte ſe opponebant *rigidiores*, qui a FLACII partibus ſtabant, MELANCHTHONIS tepiditatis & colluſionis cum Zvvinglianis pertaeſi. Illorum Dux & caput fuit EITZENIVS; horum uero IOACHIMVS VVESTPHALVS, Paſtor Catharinianus: Partim uero THEODORVS GEORGII Praeſul Nicolaitanus, qui VVESTPHALO atque GEORGIO TAPPIO Eccleſiaſtae Catharinano, ſuſpectus fuit, quod in doctrina de Sacra Coena CALVINI erroribus addictus eſſet. Vtraque pars habebat promachos atque Socios ſuos. Altera THEODORVM GEORGIVM accuſabat, & errorum inſimulabat; altera uero eius innocentiam atque doctrinae puritatem propugnabat. Quae diſſidia, quum non ſine offenſione infirmorum alerentur, ampliſſimus reipublicae noſtrae Senatus permotus fuit, ut publico decreto illis obicem poneret, & ea plane tollere ſuarum partium eſſe duceret. (2) In hoc ipſo decreto Senatus refert: Se utraque parte prolixe audita, ex praeſcripto uerbi Diuini, & in timore Dei, ut tam doctrinae puritas, quam etiam pax & Concordia conſeruetur & reſtituatur, decernere, ut omnes eccleſiae Hamburgenſis Miniſtri, nihil uel ore uel calamo, neque publice neque priuatim doceant, aut loquantur, quod non cum

(1) p. 319.

(2) Inſcriptum eſt hoc decretum: E. E. Rades Machtſpröke auer de Irrung und Uneinigkeit der Prediger in Hamburg an. 1560. Conf. STAPHORSTII Bekenntniß der Kirchen zu Hamburg in praefat.)(3. fac. b. ſqq. V. & Additam. Num. VII.

cum ordinationibus ſacris antea publicatis exacte conueniat, ſpeciatim cum Auguſtana Confeſſione eiusque apologia, articulis Smalcaldicis, Catechiſmo LVTHERI aliisque eius ſcriptis, AEPINI libro τῶ *Interim* oppoſito, per totum imperium celebratiſſimo, Confeſſione Miniſtrorum eccleſiae Hamburgenſis de Sacra Coena, Hamburgi anno clɔ lɔ LVII. edita, aliisque confeſſionibus ab omnibus eccleſiae noſtrae Miniſtris contra OSIANDRVM atque MAIOREM euulgatis, & cum epiſtola ad Vuittenbergenſes de Adiaphoris data. In illos, qui ſecus facerent, Senatum grauiter animaduerſurum. Omnes uero hactenus agitatas controuerſias, Senatum, auctoritate ſua, plane abolere, & unumquemque in ſuam dignitatem atque officium reſtituere. Iniungitur denique omnibus Sacri ordinis Viris, ne quis alterius famae atque exiſtimationi, uel publice uel priuatim, detrahat, ſed potius, ut ſinguli atque uniuerſi piae & non fucatae concordiae atque paci immo mutuo amori in poſterum ſtudeant. Hancque compoſitionem e pulpitis ſacris recitandam eſſe iubet. Datum eſt hoc decretum anno clɔ lɔ LX. Sabbatho poſt uiſitatem Mariae Virginis, die VI. Iulii. Scribit IOANNES MOLLERVS (1) *occaſionem haec σύξξαξις praebuit decreto Senatus atque Presbyterii, d.* 19. *Iulii anno* clɔ lɔ LX. *condito, quo cautum eſt, ne quis in poſterum ad Sacrum admitteretur officium, priusquam ſcripta eccleſiae Hamburgenſis ſymbolica - - - αὐτοχεὶ approbaſſet. Id quod eo ipſo die factum eſt, ab omnibus, qui tunc uiuebant, Eccleſiaſticis.* Verum ex antea dictis apparet, decretum Senatus in hac cauſa praecipuum praeceſſiſſe, & die VI. Iulii publicatum eſſe, cui poſtea ſubſcriptio ab omnibus eccleſiae noſtrae Miniſtris die XIX. Iulii eſt inſecuta. Quanquam negare nolo, aliud decretum Senatus priori fuiſſe additum, in quo ſubſcriptio librorum ſymbolicorum Hamburgenſium eſt requiſita. Colligere id licet ex formula, cui tum ſubſcripſere, quae ita fuit adornata: *Confeſſiones a Reuer. & Clariſſ. Dno* IOANNE AEPINO *piae memoriae, SS. Theol. D. & eccleſiae Superintendente, & toto Collegio Concionatorum, editas, contra librum Auguſtanum, qui INTERIM appellabatur, item contra* OSIANDRVM & MAIOREM, *nec non epiſtolam de*

(1) *In Iſag. ad Hiſtor. Cherſon. Cimbr.* P. IV. p. 583.

de Adiaphoris ad Vuittebergenſes miſſam, ac Confeſſionem de Euchariſtia contra Sacramentarios an. 57. ſcriptam, omnes nos, qui nunc temporis, per Dei gratiam in hac inclyta urbe Hamburgo, & territorio ampliſſimi Senatus Hamb. miniſterio Euangelii fungimur, repetimus, renouamus, confirmamus, ratificamus, utque Filius Dei nos in hac unitate per Spiritum Sanctum confirmet & conſeruet ſupplices oramus.

Teſtimonii & perpetuae memoriae gratia, hanc conteſtationem de noſtra conſenſione, ſinguli propria ſubſcriptione confirmauimus, atque idem facient, ex communi decreto ampliſſimi Senatus & Collegii Concionatorum, omnes, qui poſt hac in Societatem Miniſterii noſtri eccleſiaſtici recipientur. Actum anno clɔ lɔ LX. Iul. d. XIX. (1)

§. XXII.

(1) V. STAPHORSTIVM in dem Bekenntniſſe der Kirchen zu Hamburg in praefatione)( )(2. ubi ſimul nomina eorum, qui ſubſcripſere, recenſet, quae hic repetam:

Paulus von Eitzen propria manu ſubſcripſit.
Ioach. Vueſtphalus Paſtor ad S. Cath. propria manu ſubſcripſit.
Theod. Iurgens Friſius Paſt. ad D. Nic.
Ioh. Bottger Eccleſ. ad S. Iac. Paſtor propria manu ſubſcripſit.
Ioh. Criſpinus Paſtor ad D. Petri propria manu ſubſcripſit.
Ioh. Degener Secundarius Lector propria manu ſubſcripſit.
Ioh. Flamme propria manu ſubſcripſit.
Seruatius Eggerdes propria manu ſubſcripſit.
Matthias Kroeger propria manu ſubſcripſit.
Georgius Tappius propria manu ſubſcripſit.
Conradus Gerlaci propria manu ſubſcripſit.
Alexander Meppenſis propria manu ſubſcripſit.
Ioh. Henr. Zarius propria manu ſubſcripſit.
Rumoldus Walther propria manu ſubſcripſit.
Ioh. Traiectinus propria manu ſubſcripſit.
Fauſtinus Vuillichius propria manu ſubſcripſit.
Franc. Baringk propria manu ſubſcripſit.
Iacobus Kroeger propria manu ſubſcripſit.

§. XXII.

Propoſuerat ampliſſimus Senatus anno clɔ lɔ LVI. reuerendo ordini quaedam capita, & decreuerat, ut ſollicite ea ſemper obſeruarent, haec quoque anno clɔ lɔ LX. conſtitutioni Sacrorum AEPINIANAE inſeruerat. In iis iniungebatur omnibus Hamburgenſium Concionatoribus, ut primo puritati doctrinae ſtuderent; porro ne quis alium contemneret, uel haereſeos aut aliorum criminum culpam cuiquam impingeret; amplius, ut ab omnibus controuerſiis, quae intelligi a uulgo non poſſent, neque ipſi prodeſſent, ſiue ea ſciret ſiue minus, publice pro concione abſtinerent; de praeſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in Sacra Coena quisque iuxta Auguſtanam Confeſſionem & doctrinam LVTHERI doceret, neque auderet quidquam, uel publice uel priuatim, quod huic contrarium eſſet proponere: Interdicuntur porro Concionatoribus turbae atque factiones omnes: Iis uero, qui his morem gerere renuebant, remotio ab officio, relegatio atque exilium denunciatur. (1) Ne quis uero pia Magiſtratus intentione in hoc decreto expreſſa male abuteretur, ipſique mentem affingeret a ſententia ipſius plane alienam, Senatus ipſe quomodo capita decreti ſui intelligi uelit, explicauit. Tradidit enim Sacro ordini illuſtrationes ſuas ipſo hoc anno clɔ lɔ LX. (2) Scriptum in quo illuſtrationes has expoſuit, ita incipit: Nachdem etliche Artickel Anno $15\frac{26}{60}$. van einem Ehrbaren Rade den Predigern, ſick darna in erem Ampt tho richtende vorgeſtellet, alſo dat na Gelegenheit tho der Tydt vor gut angeſehen, nu in diſſen na Chriſti unſers Herrn Gebort 1560. Jahre mede in de Kercken-Ordnung gebracht ſin worden. cetera. Quanquam autem annus clɔ lɔ LVI. non diſtincte expreſſus eſt in documento, ex quo haec deſcripſi, nullus tamen dubito, quin illi articuli intelligan-

(1) V. *Ordinationem Eccleſiaſticam* AEPINI MStam p. m. 36. & *Additament.* Num. VIII. A.

(2) Exſtant illae in *Actis Miniſterii* Tomo III. p. 147. ſub titulo: Eines Erb. Raths Erklärung von einigen Artickeln dem Miniſterio übergeben. Conf. *Additament.* Num. VIII. B.

telligantur, qui A. clɔ lɔ LVI. a Senatu reuerendo ordini traditi, & ordinationi Sacrorum ab AEPINO confectae annexi sunt. Iidem enim articuli, uel eadem capita, quanquam paulo contractiora data sunt anno clɔ lɔ XXVI. (1) Annus autem clɔ lɔ XXVI. distincte expressus est in documento, quod in tabulario ordinis nostri asseruamus. Attendamus nunc, quomodo Amplissimus Senatus priora interpretatus sit. Primo omnium fundamenti loco ponit, se in decreto suo atque capitibus in eo expositis, nulli Concionatori derogare uelle potestatem, atque libertatem bene atque recte docendi, neque ea, quae uel doctrinae ueritati uel moribus Christianis repugnant, ex praescripto uerbi Diuini, & ad exemplum Christi atque Apostolorum, uel lenius uel seuerius reprehendendi. Haec qui fecerit, eum non inculpandum esse, quod odii, inuidiae atquae dissensionis auctor sit: Deinde, ea argumenta, quae in libris nostrae ecclesiae symbolicis traduntur atque explicantur, iis se non comprehendere profitetur, quae nullam habeant utilitatem, atque offensionis plena sint: Porro Christianam amicitiam atque concordiam immo & animorum consensionem, tam in publicis professionis nostrae tabulis, in quibus doctrina nostra est expositа, quam in aliis rebus, quae cum legibus atque honestate conueniunt, non esse interdictas, neque pro factione reputandas: Quarto, nullum Concionatorem, iuxta normam ultimi articuli, uel ab officio remouendum aut etiam ex ciuitate relegandum esse, nisi causae cognitio coram Senatu praecesserit, & is criminis & rei pessime gestae, quemadmodum in ordinatione Sacrorum, (2) & decreto Amplissimi Senatus recentiori (3) id definitum est, conuictus sit.

§. XXIII.

(1) V. STAPHORSTII *Hist. Eccles. Hamb.* P. II. Vol. I. p. 17.

(2) Quaeri plerumque solet, an AEPINI ordinatio ecclesiastica unquam Hamburgi recepta, & normae instar habita fuerit? Praeter ea, quae supra ad §. IX. de his iam annotaui, etiam ex his Senatus uerbis demonstrari potest, eam utique receptam fuisse. Respiciunt enim haec uerba laudatam ordinationem AEPINI Artic. XLIX.

(3) E. E. Raths Macht-Spruch, quod est decretum hoc ipso anno datum.

§. XXIII.

Scripſerunt etiam hoc anno Theologi Ienenſes ad Theologos Saxonicos. Litterae ipſorum datae ſunt die XX. Iulii. Inſcriptio ita eſt concinnata: *Eruditione ac pietate praeſtantibus Viris* D. D. IOACHIMO MORLINO, TILEMANNO HESHVSIO, PAVLO AB EITZEN, VALENTINO CVRTIO, FRIDERICO HENNINGO, PETRO FRIMERSRHEIM, & IOACHIMO VVESTFALO, *eccleſiarum Saxonicarum Superintendentibus & Doctoribus, ſuis Dominis & Fratribus in Chriſto longe chariſſimis.* Facile adſcribo ſententiae Vener. STARCKII, (1) ex ſtylo colligentis has litteras a FLACIO, Theologorum Ienenſium nomine, exaratas eſſe. Deplorant in iis primo miſerum eccleſiae ſtatum. Conqueruntur eam inquinari SCHWENCKFELDII erroribus, Sacramentaria impietate, Adiaphoriſtarum ſcortatione, Maioriſmo, & nouo liberi arbitrii Pelagianiſmo. Quam periculoſa haec ſint eccleſiae uulnera, in ſequentibus graui oratione exponunt. Tandem uero de medendo huic malo conſilia ſuppeditant. Tres rationes aut uias adducunt, uel ad tollendas penitus praeſentes controuerſias, aut ſaltem minuendas ex ipſorum ſententia apprime accommodatas. Quarum prima eſt, ut amica transactione lites finiantur; ſecunda, ut omnes Doctores, ſaltem qui recte ſentiunt, ſuas confeſſiones in lucem edant, ut appareat aliquis conſenſus contra errores; poſtrema eſt, ut conuocetur quaedam generalis ſynodus noſtrarum eccleſiarum, ubi certo ordine ac ratione cauſae ex uerbo Dei cognoſcantur, & diiudicentur & errores una cum ſuis pertinacibus defenſoribus condemnentur. Quum uero prima uia ſine omni fructu, contra Adiaphoriſtas, Cosvici tentata ſit, neque in poſterum felicem euentum inde ſperant. Viam conuocandi Synodum multis etiam circumſeptam eſſe difficultatibus facile praeuident, quamuis eam uehementer optent. Norunt enim Adiaphoriſtas non uenturos eſſe ad iſtiusmodi Synodum, & omnia Synodi decreta repudiaturos. Hinc, ſi nimirum nulla Synodi ſpes remaneret, ſecundam uiam aliis praeferunt, ut ſcilicet ſinguli

(1) in der Lübeckiſchen Kirchen-Hiſtorie p. 155.

ecclesiarum Doctores, quos Deus maioribus donis ornauit, confessiones suas edant. Ad obiectionem, quae formari posset: Mortuo PHILIPPO, Adiaphorismi architecto, quiescendum esse, respondent: Scripta & corruptelas illas, quas iste etiam moriens multipliciter confirmauerit, non esse cum eo sepultas atque abolitas, praesertim quum Collegae eius, & quidam Professores Vuittebergenses & Lipsienses, eorumque discipuli, eas publicis scriptis defendant & propagent. Hanc suam sententiam postquam exposuissent, Theologos Saxonicos rogant, si haec ab illis non probetur, ut meliorem dent. Paratissimos se profitentur, non tantum ad ipsos, Viros omni laude ac uirtute ornatissimos, sed etiam ad infimos quosque in ecclesia Dei meliora monentes amanter audiendos, & modeste ipsis obediendum, quum sciant, Dominum aliis alia & per alios ecclesiae suae patefacere, & Spiritum spirare, ubi ipse uelit, non ubi homines putent. Tandem ad pium consensum & communem ecclesiae curam ipsos adhortantur. (1)

Quum autem responsionem a Theologis Saxonicis frustra satis diu exspectassent Ienenses, nouas anno sequenti ad illos mittunt, in quibus de denegata sibi responsione conqueruntur, scribentes, responsa iure gentium deberi, neque manifestis hostibus aut impiis negari solere. Ceterum priora repetunt, & ad piam cum illis coniunctionem illos stimulant. (2) Non audeo, certo definire causas silentii, quod in Theologis Saxonicis Ienenses aegre ferebant. Verum si dicere licet, quod sentio, plurimos Theologorum Saxonicorum famae atque existimationi MELANCHTHONIS nimium quantum addictos fuisse arbitror, quam FLACII consiliis iugulari atque penitus opprimi metuebant. Non deerat tamen ex Saxonicis unus & alter, qui Ienensium petitioni locum dabat. Supplicationi enim

(1) Integras has litteras, si quis legendi cupidus est, euoluat STARCKIVM l. c. p. 198. sq. ubi eas ex Actis Ministerii Lubecensis exhibet.

(2) V. STARCKIVM l. c. p. 203. sq. Hae posteriores litterae exstant quoque in *Actis Ministerii Hamburg.* Tomo III. ubi Annus clɔ lɔ LX. exprimitur, quo datae sint.

enim Ienenſium A. clo Io LX. editae, & ad Principes directae, in qua eos, ut Synodum conuocari curent, excitant, ſubſcripſerant ex Saxonicis IOACHIMVS MORLINVS, TILEMANNVS HESHVSIVS & IOACHIMVS VVESTPHALVS, iſte Brunſuicenſis, ille Bremenſis eccleſiae, hic coetus Sacri ad Diuae Catharinae aedem, quae Hamburgi eſt, Praeſul. (1)

§. XXIV.

In eccleſia & academia Roſtochienſi hoc anno non leues motus excitauerat homo CALVINI, in doctrina de Sacra Coena, erroribus inquinatus, & Sacramentarii Bremenſis, ALBERTI HARDENBERGII, de quo poſtea dicendum erit, diſcipulus, M. RVDOLPHVS MVNCHHAVSEN. (2) Hic, quum errores ſuos & Roſtochii ſpargeret, eorundem a Miniſtris uerbi Roſtochienſibus, coram Rectore & ordine Theologorum accuſatus eſt. Et quum nihil ſolidi, quod reſpondere poſſet, haberet, conuincebatur quidem, noluit uero ueritati cedere. Ne igitur plures ſeduceret, urbe eiectus eſt. Quum autem de facta ſibi iniuria multum quereretur, additis minis ſe litem conteſtaturum, apud uicinarum urbium Miniſteria, integra cauſae acta ad Tripolitanos Theologos miſſa ſunt, qui latam a Roſtochienſibus ſententiam calculo ſuo approbarunt. Reſponſum Sacri ordinis Hamburgenſis, Miniſterio Roſtochienſi datum, in tabulario noſtro fruſtra quaeritur. Negligentiſſimi enim fuerunt Maiores noſtri, in aſſeruandis iis, quae ſuo tempore

(1) V. Summe Reu. VAL. ERN. LOESCHERVS in *hiſtoria motuum* P. II. p. 156. & Darmſtadienſes in der Special-Widerlegung p. 521.

(2) Conf. de eo ZACHAR. GRAPIVS im Evangeliſchen Roſtock p. 305. & 383. BERTRAMVS im Evangel. Lüneburg P. II. p. 179. & in Appendice N. V. VI. STARCKIVS in der Lübeckiſche Kirchen-Hiſtorie p. 156. OTTO FRID. SCHÜTZIVS *in Vita* DAV. CHYTRAEI, P. I. p. 200. Quum Bremenſes motus ab HARDENBERGIO excitati increbeſcerent, HARDENBERGII partibus ſe adiunxerat. V. VVIGANDVS *de Sacramentarriiſmo* f. 378. b. ubi eum hominem profligatum nominat.

tempore gesta sunt. Impetraui tamen illud ex beneuola transmissione Vener. CASP. HENR. STARCKII, ad quem ideo scripserat Vir laudibus sempiternis dignus, beatus IOANNES CHRISTOPHORVS VVOLFIVS. Neruose & solide hoc responsum ordinis Sacri Hamburgensis est elaboratum. Certo mihi est persuasum ab EITZENIO id confectum esse. Non enim tantum id inde colligo, quod more consueto, Superintendens tum scripta omnia nomine ordinis sui contexere solitus fuerit, sicut hodie is, qui Senioris dignitate fungitur, id facere solet; sed etiam ex elaboratione ipsâ, quae EIITZENII ingenium & scribendi rationem spirat. Quod illi mihi facile concedent, qui alia eius scripta cum attentione legerunt. Ad primam colligendi rationem id obseruo, & hodie Seniorem pro auctore omnium scriptorum, quae nomine ordinis Sacri prodeunt, reputandum esse, nisi certo constet, ab illo, hac uel illa uice, hoc onus, consentiente toto ordine, in alium deuolutum esse. Vt autem de responso ipso eo melius iudicari possit, conferam positiones MVNCHHAVSENII cum responso Hamburgensi. Illas exhibet BERTRAMVS. (1) Laudant uero in initio scripti sui Hamburgenses, Magistratum Rostochiensem, quod hominem hunc de erroribus suis non tantum admonitum, sed etiam eorum conuictum, ex urbe expulerint. Dolent porro, Doctorem DRACONITEM Sacramentarii huius expulsi defensionem suscipere. (2)

Referunt Rostochienses, MVNCHHAVSENIVM errores suos ab improbatione παυταχοσίας Corporis Christi exorsum esse. Respondent Hamburgenses: Hanc esse astutiam Satanae, Sacramentarios impellentis, ut his imperitos confundant: Nos enim non de Vbiquitate Corporis Christi disputare, sed de uera & substantiali Corporis Christi praesentia in Sacra Coena. Hunc esse uerum & proprium

(1) Im Evangelischen Lüneburg, & quidem in Appendice ad Partem II. Num. IV. p. 40. sqq.

(2) De hoc DRACONITE conf. MELCH. ADAMVS in *vitis Theologorum* p. m. 194. sq. Quum Rostochii degeret, falsorum dogmatum insimulabatur. Conf. beati ZACH. GRAPII Evangel. Rostock p. 141. sqq. & 381. sq. & SCHÜTZIVS in uita DAV. CHYTRAEI P. I. p. 181. sq. 199. & 264.

proprium controuerſiae ſtatum nos inter atque Sacramentarios. Hos quidem nobis per calumniam falſo imputare, quod doceamus: Corpus Chriſti uel expanſum eſſe per uniuerſas Creaturas, aut etiam ſingulis creaturis & locis incluſum. Hoc enim intelligere Sacramentarios per Vbiquitatem, quam oppugnant. Eſſe uero id proprium ipſorum ſomnium & figmentum, non uero noſtram doctrinam, fidem atque confeſſionem. Monent porro Hamburgenſes, Sacramentarios fingere, quod LVTHERI aſſeclae naturas & proprietates naturarum, in Perſona Chriſti, confundant. Verum & hac in parte illos cum laruis atque cum umbra pugnare. Ex uera LVTHERANORVM ſententia id non poſſe demonſtrari. Nos enim ſimpliciter dicere: Chriſtum eſſe Vbique, & inniti PAVLI uerbis: *Chriſtum adſcendiſſe ſuper omnes coelos, ut adimpleret omnia.* Nos uero, quando de Chriſto loquimur, intelligere totam Perſonam, quae conſtat naturis duabus, Diuina & humana, non imaginarie ſed uere, hypoſtatice, & indiſſolubili uinculo unitis, iuxta dictum: *Verbum caro factum eſt.* Nos etiam promiſſiones illas de toto Chriſto interpretari. *Vbicunque duo uel tres congregati ſunt in nomine meo, ibi ego in medio eorum ſum.* Item: *Ecce ego Vobiscum ſum, usque ad conſummationem ſeculi.* In his propoſitionibus, nos non ſeparare humanitatem a Diuinitate, neque diuidere Chriſtum, ſed credere & confiteri: Chriſtum totum Deum & hominem adeſſe, usque ad conſummationem ſeculi. Vnionem enim hypoſtaticam non deſinere tempore, neque ſolui loco, ſed manere per omnia tempora & loca, ſicut dictum illud certum & uerum manet: *Verbum caro factum eſt.* Ex quo inferunt Hamburgenſes: Quamdiu Chriſtus erit, tam diu, hoc eſt in aeternum, erit perfectus Deus & perfectus homo, & ubicunque Chriſtus eſt, ibi eſt perfectus Deus & perfectus homo, non ſolum in Coelo, ſed etiam in terra. In ſequentibus confutant Sacramentarios, fingentes, nos naturarum in Chriſto proprietates confundere. Tandem ad deſtruendas poſitiones Sacramentarii ſe accingunt. Is propoſitione prima adſtruxerat: Verba Chriſti, *Hoc eſt Corpus meum*, ſic intelligenda eſſe: Quod, ſicut uerbum Euangelii eſt medium, per quod Chriſtus ſe ipſum & ſuum Corpus & Sanguinem credenti impertit, ita panis Coenae Domini ſit medium,

per

per quod Christus se ipsum, & suum Corpus & Sanguinem credenti communicat. Sicut PAVLVS inquit: *Panis est Communicatio Corporis Christi*, id est, panis est medium, per quod communicatur nobis Corpus Christi. Quid ad haec Hamburgenses? Respondent: Sacramentarium non distinguere inter communicationem Corporis & Sanguinis Christi, quam Dominus instituit in Coena sua, per uerba: *Accipite, comedite, hoc est Corpus meum, bibite, hic est sanguis meus*, & inter communicationem, quae fit per praedicationem uerbi, & auditum fidei, etiam extra usum Sacramenti Coenae, de qua communicatione loquatur Christus Cap. VI. Ioannis. In baptismo & per praedicationem Euangelii, seu auditum fidei, fieri communicationem spiritualem, sed in Coena non tantum spiritualiter credentibus, sed etiam corporaliter pane & uino, Corpus & Sanguinem Christi omnibus sumentibus communicari, sicut inquit Christus: *Accipite, comedite, hoc est Corpus meum, bibite, hic est Sanguis meus.*

Secundo Sacramentarius uerba Apologiae Augustanae Confessionis sic se habentia: *In Coena Domini uere & substantialiter adsunt & exhibentur sumentibus uerum Corpus & Sanguis Christi*, adoritur, & concedit quidem ea uera esse, uerum sic interpretatur: Corpus Christi substantialiter praesens est in Coena Domini, scilicet non quae in templo sub tecto lapideo celebratur, sed in qua fide coelos transscendimus, & praesens ibi uerum & substantiale Corpus Christi fide manducamus. Ad haec Hamburgenses obseruant: Sacramentarium uerba Apologiae transformare in Enthusiasticum seu Anabaptisticum sensum. Apologiae uerba enim intelligenda esse de usu Coenae in hac terra, quoniam Christus in hac terra Coenam instituit, & eius usum nobis in hac terra, usque ad nouissimum diem mandauit. Sicut in terrena Hierusalem Christus cum discipulis mensae assidens, accepit panem, & dedit iis dicens: *Accipite, comedite, hoc est Corpus meum.* Addunt: Tunc Christum in coelestibus recte quaeri, quando in uerbo suo & Sacramentis quaeritur, siquidem regnum coelorum etiam apud nos sit, & Christus sedens ad dextram Dei, non sit inclusus loco coeli, ubi quaeratur.

Tertio

Tertio fatetur quidem MVNCHHAVSENIVS, ſumi a nobis uerum & ſubſtantiale Corpus Chriſti in Coena, & ſubſtantia carni; Chriſti animas noſtras paſci, ut fiamus Caro de Carne Chriſti, & os de oſſibus eius: Verum id ita declarat: ſubſtantiale Corpus Chriſti nobis exhiberi ſecundum efficaciam, ſicut CALVINVS ſcribit, Chriſtum arcana ſpiritus ſui uirtute, uiuificam uim Carnis ſuae in nos transfundere: ſubſtantiam non transfundere. Ad haec Theologi Hamburgenſes regerunt: Se hunc errorem refutare uerbis Chriſti aſſerentis, ſe nobis illud Corpus dare in Coena, quod pro nobis traditum eſt, & illum ſanguinem, qui pro nobis effuſus eſt. Eſſe autem manifeſtum, ſubſtantiam Corporis & ſanguinis Chriſti pro nobis traditam & effuſam eſſe.

Quarto negat ſimpliciter Sacramentarius in Coena Domini ſumi uerum Corpus & Sanguinem Chriſti, ſed Sacramentum Corporis & Sanguinis, i. e. nudum panem & uinum concedit ORE ſumi: Verum autem Corpus & Sanguinem Chriſti ſola fide accipi affirmat. Et his ſtrophis meliora opponunt Hamburgenſes: Scribunt enim: Verba Chriſti: *Accipite, comedite* intelligenda eſſe de acceptatione & manducatione, quae ORE fit, quo ſcilicet ore accipiatur panis & uinum. Praeter hanc corporalem manducationem Sacramenti requiri etiam ſpiritualem, ſine qua ea, quae Ore fit, ſit inutilis. Manducationem fidei uero non tollere manduca ionem oris, ſicut uerba: *Hoc facite in mei recordationem*, non tollant & deſtruant praecedentia: *Accipite, comedite*, ſed ea ſtabiliant.

Quinto negat indignos ſumere uerum & ſubſtantiale Corpus Chriſti: Sacramentum Corporis ab iis ſumi concedit. Reſpondent Hamburgenſes: Haec Sacramentarii uerba pugnare cum definitione ſubſtantiali Coenae Chriſti, quam uerba inſtitutionis praebent, & quae non mutetur propter abuſum impiorum, ſicut Chriſtus propter malum uſum IVDAE uerba inſtitutionis non mutauerit. Pugnare quoque, ſcribunt, cum doctrina PAVLI affirmantis: *Indigne ſumentes reos fieri Corporis & Sanguinis Chriſti, & ſibi edere & bibere iudicium, quia non diiudicant Corpus Chriſti.*

Sexto duplicem ponit manducationem Corporis Christi, *spiritualem*, quae fit fide, de qua Io. VI. dicatur, & *sacramentalem*, qua panis & uinum ore accipiuntur. Corporalem uero manducationem Corporis Christi communem piis & impiis simpliciter negat. Ad haec Hamburgenses monent: Recte quidem poni duplicem manducationem Corporis Christi spiritualem quae fit fide & sacramentalem. Hanc uero Sacramentarium minus recte definire perhibent. Ita igitur eam definiunt: *Sacramentalis manducatio ea est, qua iuxta institutionem Christi, pane uel uino, siue cum, siue in, siue sub pane uel uino uere & substantialiter accipitur Corpus & Sanguis Christi ad manducandum & bibendum.*

Septimo Caput VI. IOANNIS esse interpretationem uerborum Coenae affirmat. Hamburgenses ad haec scribunt: Huius obiectionis illustrem explicationem exstare in scriptis LVTHERI, ad quae tam in hoc, quam in aliis capitibus se recipiunt, & se paratos esse profitentur ad prolixiorem declarationem, quandocunque uisum fuerit ea opus esse.

Octavo definitionem Sacramenti Altaris in Catechismo LVTHERI, quae affirmat IN uel SVB pane accipi Corpus Christi, non habere firma uerbi Diuini testimonia dicit, nec tamen se prohibere, quo minus alii ea forma loquendi *in pane* uel *sub pane* utantur; se uero bona conscientia uti illis phrasibus non posse. Ad haec respondent Hamburgenses: Ecclesiam his phrasibus uti ad declarandum & significandum mysterium illud magnum praesentiae substantialis ueri Corporis uel Sanguinis Christi, attamen sine panis & uini transmutatione seu transelementatione: Non uero intelligendas esse has phrases de locali inclusione seu durabili alligatione extra usum Sacramenti. Neque eas cum uerbis scripturae pugnare, sed omnino cum uerbis Christi & PAVLI conuenire: *Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus*; item, *Panis est communicatio Corporis Christi, & calix benedictus est communicatio Sanguinis Christi.* Datum est hoc responsum Hamburgi anno c lo lo LX. postridie Michae-

Michaelis. Subſcriptio ita ſe habet: *Superintendens & Paſtores eccleſiae Hamburgenſis.* (1)

§. XXV.

Rerum geſtarum ordo me ducit ad exponenda ea, quae anno clo lo LXI. contigerunt, in quantum haec ad res EITZENII illuſtrandas faciunt. Habitus eſt eo ipſo conuentus Principum Numburgenſis, cui & EITZENIVS a Duce Holſatiae ADOLPHO ad eum miſſus interfuit. Perhibet id PAVLVS HOENNIVS, (2) SALIGIVS, (3) IOANNES MOLLERVS, (4) licet poſtremus hic non definiat, cuius nomine ad hunc Principum conuentum EITZENIVS ſit ablegatus. Mirari ſane quis poterat, quomodo EITZENIVS, qui ſummi Praeſulis dignitate eo tempore Hamburgi fungebatur, ab Holſatiae Duce ADOLPHO ad conuentum Numburgenſem mitti potuerit. Verum, quum res ipſa negari non poſſit, quod mox oſtendam, ſequitur, quod Dux Holſatiae ſibi hunc Theologum quem magnifaciebat, ab Hamburgenſibus tantisper expetiuerit, ut cum aliis ab ipſo delegatis ipſi ſuo nomine intereſſet. Quae enim HOENNIVS atque SALIGIVS in hoc argumento referunt, ex monumentis fide dignis ſunt depromta. Omnis in ſuper de eo dubitandi ratio exſpirat, quando ex litteris MATTHAEI IVDICIS, qui tunc Numburgi uerſabatur, ad WIGANDVM ſcriptis, confirmamur, EITZENIVM non tantum Numburgi, ſed etiam nomine Holſatiae Ducis ibi fuiſſe. Scribit enim: *PAVLVS ab EITZEN etiam hic eſt*, & in alia epiſtola: *PAVLVS ab EITZEN hic eſt nomine Principis Holſatiae* (5) Deſtituebatur tum Princeps ADOLPHVS concionatore Aulico. VOLQVARDVS IONAE enim, qui hactenus ea dignitate ornatus fuerat, iam ab anno clo lo LIX. Paſtor Gardingenſis erat electus.

(1) Conf. Additam. Num. IX. ubi integrum hoc reſponſum inſeri curaui.
(2) In der Hiſtorie des Naumburgiſchen Convents A. 1704. in 8. edita p. 14.
(3) In der Hiſtorie der Augſpurgiſchen Confeßion P. III. p. 668. & p. 673.
(4) In *Iſag. ad Hiſtor. Cherſon. Cimbr.* P. II. p. 178.
(5) Exſtant hae litterae apud SALIGIVM l. c. p. 676. in notis.

Quanquam autem non certo ſcio, an nouum hoc munus tum, quum conuentus Principum Numburgenſis haberetur, iam auſpicatus fuerit, (1) ſine dubio tamen laudatiſſimus Princeps graues habuit rationes, cur EITZENIVM prae aliis ad conuentum illum ſuo nomine mittere maluerit. Indicebatur is ad diem XX. Ianuarii anno clɔ lɔ LXI. ab AVGVSTO, Electore Saxoniae. Duo potiſſimum momenta in hoc conuentu ſibi expedienda ſumſerant Principes. Alterum erat, ut inquirerent & decernerent, quodnam ſit exemplar Auguſtanae Confeſſionis authenticum, cui ſubſcribendum ſit? Alterum, an conſultum ſit, ut Proteſtantes legatos ſuos ad Concilium Tridentinum, ad quod a Pontifice Romano inuitati erant, mitterent, an uero omne cum Papa commercium fugerent, & oblatum ipſis ab eo concilium tanquam illegitimum repudiarent? Prioris momenti inquiſitio eo magis neceſſaria erat, quo crebriores calumniae erant, quibus Lutherani onerabantur, quod ab Auguſtana Confeſſione defecerint, & quod propemodum ipſi neſcirent, quodnam uerum & legitimum huius Confeſſionis exemplum eſſet, cui tuto tanquam doctrinae ſuae normae inhaererent. Obiectum id noſtris erat in Comitiis Auguſtanis anno clɔ lɔ LIX. celebratis. Dicebant ſcilicet Pontificii: in tanta uarietate editionum ne conſtare quidem, quaenam ſit uera Confeſſio Auguſtana: immo defeciſſe noſtros a doctrina maiorum ſuorum, nec illa docere amplius & ſtatuere, quae olim Auguſtae Vindelicorum profeſſi fuerint. (2) Quod etiam ab ipſo Imperatore FERDINANDO I. Auguſtanae Confeſſionis Sociis obiectum fuiſſe SALIGIVS refert. (3) Huic inculpationi MELANCHTHON anſam dederat. Is enim eo erat animo, ut ſibi temperare non poſſet, quo minus in iis, quae ſcripſerat aut ediderat, quauis data occaſione quaedam mutaret. Quod quanquam ipſi in ſcriptis ſuis priuatis facile concedi poterat, non tamen ferendum erat, quod in ſcripto quodam

(1) Vid. Celeb. ADAMI HENRICI LACKMANNI Einleitung zur Schleßwig-Holſteiniſchen Hiſtorie P. I. p. 537. & 545. (64.)
(2) Vid. Celeb. WALCHIVS in *Introd. in libros Eccleſ. Luth. Symb.* p. 189.
(3) l. c. p. 653.

quodam publico idem tentaret. Improbandum igitur est, quando praeter alia etiam in Augustanae Confessionis Articulo X, qui de Coena Domini agit, uerbis exempli latini minime mutati, sic se habentibus: *De Coena Domini docent, quod Corpus & Sanguis Christi uere adsint & distribantur uescentibus in Coena Domini, & improbant secus docentes*, alia substituerit ita concepta: *De Coena Domini docent, quod Corpus & Sanguis Christi uere exhibeantur uescentibus in Coena Domini.* Suscepta fuit haec mutatio in gratiam VLRICI ZWINGLII eiusque assectarum. Primum deleuit uerbum *adsint*, porro expunxit uocem *distribuantur*, substituitque uocabulum *exhibeantur*. Priori uoce uera & realis Corporis & Sanguinis Christi in Sacra Coena praesentia erat significata. Quam, quum negarent Caluiniani, ex intempestiuo pacis studio hanc deleuit. Posteriori uoce *distribuantur*, professi erant pii Confessores, Corpus & Sanguinem Christi in Sacra Coena cum pane & uino manu Ministri distribui. Quod, quum Zwingliani, iique qui cum iis faciebant, negarent, etiam hac mutatione se eorum gustui attemperabat. Erant quoque uerba Confessionis nostrae ita concepta, ut ex iis facile demonstrari posset, in Augustana Confessione adstrui, etiam indignos Corpus & Sanguinem Christi ore manducare. Hanc ueritatem autem, quum Zwingliani impugnarent, MELANCHTHON, ut concordia cum iis ineunda eo facilior foret, & hanc ob causam antea dictam mutationem suscepit. Denique uero, ne Caluiniani ob additum elenchum a subscriptione huius Symboli plane deterrerentur, in gratiam illorum uerba postrema: *Et improbant secus docentes*, plane omisit. Animaduersa est haec mutatio primo in latina editione, quae anno clo lo XL. prodiit; deinde uero in aliis editionibus saepius est repetita. (1) Ortum hinc est discrimen inter Augustanam Confessionem *uariatam* & *inuariatam*. Quum enim Caluiniani subinde

(1) Vid. Beatus GOTTLIEB WERNSDORFIVS in Dissertat. in qua demonstrat, *quod iuxta Caluini doctrinam Reformati non sint Socii Augustanae Confessionis*, §. XIII. p. 14. Ven. VAL. ERN. LOESCHERVS in *Hist. Mot.* P. II. Cap. IV. p. 35. sqq. & Celeb. Io. GEORG. WALCHIVS in *Introd. in Libros Eccles. Luth. Symbolicos* L. I. Cap. III. §. XII. p. 185. sqq.

profeſſi ſint, ſe Auguſtanae Confeſſioni ex animo adhaerere, ſemper ad editionem eius a MELANCHTHONE uariatam, ſub qua errores ſuos, in doctrina de Sacra Coena, tegere poterant, reſpexerunt. Idem etiam factum eſt a Crypto Caluinianis Wittenbergenſibus, qui poſt mortem Diui LVTHERI caput ibi extulerant. Contulerunt igitur Electores atque Principes Numburgi congregati magna cura, magnoque ſtudio, exempla Auguſtanae Confeſſionis, hoc uero peracto decreuerunt, reliquis editionibus eam eſſe praeferendam, quae Wittenbergae anno clo lo XXXI. prodiit, cui etiam ſubſcripſerunt, illudque exemplum Imperatori FERDINANDO exhibuerunt. Hactenus quidem omnia in conuentu hoc bene geſta erant. Verum praefigebatur huic confeſſioni, de nouo ſubſcriptae, noua praefatio, a CRACOVIO atque EHEMIO, qui utrique Caluiniſmo fauebant, elaborata. In ea aſſeritur, Status Euangelicos, qui ei ſubſcripſerant, nullam aliam doctrinam in ditionibus ſuis hactenus toleraſſe, quam quae in Scriptura Sacra ſolide fundata, & in Auguſtana Confeſſione expoſita eſſet. De mutata uero Confeſſione anno clo lo XL. & clo lo XLII. edita ſcribunt, quod praeclarius & copioſius repetita, atque ex Sacra Scriptura expoſita & aucta ſit. Proteſtantur porro, ſubſcriptionem hanc nouam primi exempli Auguſtanae Confeſſionis anno clo lo XXXI. editae non eo trahendam eſſe, ac ſi a Confeſſione anno clo lo XL. publicatae, uel in minimo momento diſcedere uellent. In doctrina de Sacra Coena uero generalibus loquendi formulis utuntur, eamque ita definiunt, quemadmodum PHILIPPVS in decreto Francofurtano, a compluribus ſtatibus improbato, eam expoſuerat. Verum aperto falſum erat, quod omnes ſtatus Numburgi congregati nullam aliam doctrinam, quam quae Auguſtanae Confeſſioni conſentanea eſſet, toleraſſent. Aderat enim etiam Numburgi Elector Palatinus, qui Caluini placitis addictus erat, eiusque aſſeclas fouebat. Hinc IOANNES FRIDERICVS, Saxoniae Dux, profitebatur, ſe ſalua conſcientia, praefationi ſubſcribere non poſſe, neque Electorem Palatinum, Caluinianorum Patronum, pro Socio Auguſtanae Confeſſionis agnoſcere. Poſtulauit quoque, ut uerba LVTHERI ex Articulis Smal-

Smalcaldicis de Sacra Coena agentia nouae praefationi inſererentur. Huius ſententiae acceſſit VLRICVS Dux Megapolitanus. Verum, quum impetrare non poſſent, quod flagitabant, IOANNES FRIDERICVS die III. VLRICVS autem die IV. Februarii, Numburgo diſceſſerunt. (1) Quod uero alterum momentum, de quo in conuentu Numburgenſi deliberatum eſt, Tridentiuum ſcilicet Concilium attinet, illud Principes Euangelici aculeata reſponſione, Nuntiis Pontificis data, repudiarunt. (2)

§. XXVI.

Receperant in ſe Electores & Principes in conuentu Numburgenſi, quod etiam alios ſtatus LVTHERI doctrinae addictos, ut iis, quae ibi decreuerant, in primis autem praefationi nouae Auguſtanae Confeſſioni praemiſſae, ſubſcriberent, rogare uellent. Arbitrabatur igitur Magiſtratus trium ciuitatum Lubecenſis, Hamburgenſis & Luneburgenſis, & ſe ad ſubſcribendum inuitatum iri. Mittunt igitur Theologos ſuos Moloniam, deliberaturos I. Quid reſpondendum ſit Principibus ſubſcriptionem a ſe efflagitantibus? II. Quid circa condemnationem eorum, qui noua atque falſa dogmata ſparſerant, faciendum ſit, ut concordia harum eccleſiarum conſeruetur & ſtabiliatur. Quod argumentum etiam Numburgi diſceptandi anſam dederit, & ſubſcriptionem apud nonnullos difficilem reddiderit? III. Quid reſpondendum ſit Nuntiis Apoſtolicis, qui Pontificis Romani nomine, & has ciuitates ad Concilium

(1) Haec ulterius expoſita & enarrata lege in der Gründlichen Hiſtorie der Augſpurgiſchen Confeßion, Magdeb. cIↃ IↃ LXXXIV. edita, fol. m. 310. b. Conferantur etiam LOESCHERVS l. c. Cap. VII. p. 162. ſqq. HOENNIVS in *Hiſtoria Conuentus Numburgenſis* germanice edita. STRVVIVS in der Pfältziſchen Kirchen-Hiſtorie Cap. V. p. 113. ſqq. SCHVTZIVS in *vita* CHYTRAEI L. I. §. XLI. p. 202. ſqq. & SALIGIVS in der Hiſtorie der Augſpurgiſchen Confeßion P. III. Libro X. Cap. IV. p. 653. ſqq.

(2) Conf. SALIGIVS l. c. p. 698. ſqq.

lium Tridentinum inuitauerint? (1) Missi sunt ad Conuentum hunc Molonienſem, menſe Iulio huius anni habitum, a Lubecenſibus VALENTINVS CVRTIVS, PETRVS VRTMERSHEIM & DIONTSIVS SCHVNEMANNVS, ab Hamburgenſibus PAVLVS AB EITZEN & IOACHIMVS WESTPHALVS, a Luneburgenſibus autem FRIDERICVS HENNINGES & IOANNES EKENBERCH. Theologi hi, deliberatione facta, reſpondent ad primam propoſitionem: Non conſultum ſibi uideri, ut praefationi ſubſcribatur, quum notum ſit, diſſidia in doctrina utique dari inter illos, qui ſe Auguſtanae Confeſſionis Socios nominant, praecipue in doctrina de Sacra Coena errores eſſe diſſeminatos in quibusdam academiis. Hos eſſe confutandos, iisque, qui erroribus his dediti fuerunt, incumbere, ut ab illis deſiſtant, & aperte profiteantur, ſe nobiscum in uero ſenſu Auguſtanae Confeſſionis, Articulorum Smalcaldicorum, & Catechiſmi LVTHERI conſentire, & Sacramentariis ſe oppoſituros eſſe. Praefationem enim ita intelligendam eſſe ſcribunt, quemadmodum decreto Numburgenſi id conueniens eſt. In eo autem omnes iubentur, ut ad normam receſſus Francofurtani doceant. Hunc uero a ſe improbari. Conſulere ſe igitur Dominis ſuis, ut Electoribus atque Principibus, ſi ſubſcriptionem praefationis requiſiuerint, reſpondeant, ſe ea conditione Auguſtanae Confeſſioni ſubſcripturos eſſe, ſi omnes errores, qui cum libris eccleſiae noſtrae Symbolicis pugnant, improbentur & abrogentur, & Concionatoribus liberum maneat eos confutare. Argumentum reſponſionis ad propoſitionem ſecundam erat, ut trium ciuitatum Magiſtratus mandatum ſuum, contra Sacramentarios & Anabaptiſtas olim latum, (2) repeti & renouari curet, & ut omnibus Concionatoribus harum eccleſiarum imperetur, ut conſtan-

(1) Vid. BERTRAMVS im Evangeliſchen Lüneburg ubi Additam. ad P. II. N. IX. p. 55. ſq. adducit. Die Propoſitiones und Articul, ſo von den Ehrbaren Städten ihren Theologis auf dem Convent zu Möllen A. 61. zu berathſchlagen fürgeſtellet ſind.

(2) V *Memoria* AEPINI *inſtaurata* p. 30. ſqq. & p. 138. ſqq.

conſtanter inhaererent puriori doctrinae Propheticae & Apoſtolicae, in publicis doctrinae noſtrae formulis, Auguſtana Confeſſione eiusque Apologia, Smalcaldicis Articulis, & Catechiſmo Lutheri, nec non ſcripto trium harum ciuitatum publico contra librum *Interim* dictum euulgato, aliisque ab iis receptis Confeſſionibus explicatae, nec quidquam his contrarium, uel clam uel palam docerent aut tentarent. Ad tertiam uero propoſitionem regerunt: Pontifici Romano Concilium indicenti, & ut Theologos ſuos ad illud mitterent, a Ciuitatibus requirenti, non obtemperandum ſed declarandum eſſe: Senatum miſſurum eſſe Sacri ordinis Viros ad Concilium liberum, uniuerſale, & Chriſtianum, ſiquidem id in Germania, ea ratione, eoque modo, quem Principes Numburgi congregati definiuerant, indiceretur. Subſcripſere huic receſſui Molonienſi apud BERTRAMVM (1) obuio, Theologi ante nominati anno clɔ lɔ LXI. die Iouis Margaretae diem proxime inſecuto.

§. XXVII.

Excepit Molonienſem menſe eodem Luneburgenſis Conuentus, cui non tantum EITZENIVS interfuit, ſed de quo etiam alia, quae illum tangunt, referenda ſunt. Ad hunc octo ciuitates Theologos ſuos miſerunt. Aderant quoque Viri politici a ciuitatibus ablegati. Perſecuti ſunt uero Theologi in eo fuſius, quae in conuentu Molonienſi breuius expoſuerant. Actum ſcilicet eſt in Conuentu Luneburgenſi I. de corpore doctrinae, quod amplectendum ſit. II. de condemnatione errorum doctrinae uerae aduerſantium. III. de iurisdictione Pontificis, & quod noſtros ad Concilium ſuum inuitare auſus fuerit. De corpore doctrinae ſtatuunt, Auguſtanae Confeſſioni eiusque Apologiae, quemadmodum in Smalcaldicis Articulis, Catechiſmo, aliisque ſcriptis LVTHERI, eſt explicata, conſtanter inhaerendum eſſe. Et quum Auguſtana Confeſſio doctrinas erroneas ſectasque ſpeciatim damnet, idem

(1) In *Hiſtoria Reformationis Luneburgenſis* germanice edita, in additamentis ad P. II. p. 56. ſq.

idem genuinos eius Confeſſores decere ſtatuunt, ut ſcilicet Pontificiis noſtram Confeſſionem criminantibus, quod peſſimis erroribus patrocinium impertiatur, quum eorum defenſores ad eam ſubinde prouocent, & nocentiſſimum uenenum ſuum ea tegant & occultent, os obturetur. Refellenda igitur eſſe omnia falſa, & a ueritate Diuina deflectentia dogmata, uerbis ex Auguſtana Confeſſione deſumtis, neque extenuandos eſſe errores cum ea pugnantes. Puriorem enim doctrinam unoquoque errore inquinari, quemadmodum minimum fermentum totam maſſam fermentat. De condemnatione uero errorum monent, ſe illos tantum errores indicaturos eſſe, quorum Auctores ſe Auguſtanae Confeſſionis Socios eſſe profitentur, nec ab ea ſe uel latum unguem diſcedere uideri uolunt. Quibus monitis, refellunt, OSIANDRISTAS, MAIORISTAS, SACRAMENTARIOS, ADIAPHORISTAS, atque STNERGISTAS. Quo labore ita defunguntur, ut primo ueram doctrinam ex Auguſtana Confeſſione, transſcriptis ex ea uerbis, proferant, deinde dogmata aduerſa fronte cum illa pugnantia ſubiungant. De Pontifice uero, noſtros ad Concilium ſuum inuitante, ſcribunt, eum eſſe Anti-Chriſtum, omne quoque ipſi ius omnemque poteſtatem in noſtram eccleſiam uere Catholicam denegant. Ceterum ſe paratos eſſe ſignificant, in pio atque a partium ſtudiis alieno Concilio, in Germania habendo, Pontificem Romanum, Chriſto atque coetui ſuo infenſum, accuſare & ex uerbo Dei conuincere. Quod ſi igitur Romanorum Imperator iſtiusmodi Concilium indicturus ſit, ei debita ſubmiſſione obtemperandum eſſe cenſent. (1) Subſcripſerunt huic ſcripto Luneburgenſi VALENTINVS CVRTIVS, PETRVS VRIMERSHEIM & DIONTSIVS SCHVNEMANNVS, ille Superintendens, hi Paſtores Lubecenſes, CHRISTIANVS HAVEMANN & EILARDVS SEGEBODE, Miniſtri

(1) Scriptum Luneburgenſe, quod ſub tit. Erklärung aus GOttes Wort und kurtzer Bericht der Herren Theologen, welchen ſie den Erbaren Sächſiſchen Städten Geſandten auf den Tag zu Lüneburg im Julio dieſes 61. Jares gehalten, fürnemlich auf deren Artickel gethan haben, Magdeburgi cIↃ IↃ LXI. in 4. editum eſt, inſertum lege Additam. N. X.

Miniſtri eccleſiae Bremenſis, PAVLVS VON EITZEN & IOACHIMVS WESTPHALVS, Superintendens & Paſtor Hamburgenſis, IOANNES KITTELIVS, Sacrae Theologiae Doctor & Superintendens eccleſiae Roſtochienſis, TILEMANNVS HESHVSIVS & HENNINGVS FRIEDE, Superintendens & Paſtor Magdeburgenſis, IOACHIMVS MORLINVS, Superintendens, & MARTINVS KEMNITIVS, Miniſter eccleſiae Brunſuicenſis, FRIDERICVS HENNINGES & IOANNES EICHENBERGK, Superintendens & Miniſter eccleſiae Luneburgenſis, quibus adiungendus eſt M. IOHANNES FREDERVS, Superintendens Wismarienſis.

§. XXVIII.

Adornauerat hoc ſcriptum Luneburgenſe IOACHIMVS MORLINVS, cui ſine dubio ab aliis, qui aderant, Theologis, hic labor commiſſus erat. Ipſe quoque pro Auctore praefationis ei praemiſſae habendus eſt. Vtrumque MORLINI uerbis probari poteſt, in litteris ad M. BARTHOLOMAEVM WOLFARTVM, Superintendentem, & M. FRANC. MARSHVSEN, Paſtorem Hildeſienſem, datis, ſcribentis: (1) *Ego nomine omnium Theologorum, & ex uoto ac communibus ſuffragiis Luneburgae ſcriptum collegi, cui ceteri omnes nomina ſua ſubiecerunt. Hoc Politicis obtulimus, qui promiſerunt:* Sie wolten in hac confeſſione, bey der Lehr und forma doctrinae, Leib und Gut bey uns auffsetzen ⁂ Et, paucis interiectis, pergit: *Nunc illi ſcripto adorno praefationem, ut edatur, ita enim decretum eſt communibus ſuffragiis, ne ſub modio ponatur lucerna.* Nun wird Wittenberg toben, Heidelberg raſen, Tübingen ſauer ſehen. *Sed rumpantur ilia Codro, dummodo ſit ſalua puritas doctrinae Chriſti, cui uos commendo.* Datae ſunt litterae ex Brunſuiga d. VII. Aug. clɔ lɔ LXI. Quod igitur praefationem attinet, declarationi Luneburgenſi praemiſſam, MORLINVS in ea primo cauſas exponit, cur Theologi Saxonici Luneburgi conuenerint, quarum praecipua eſt, pia Magiſtratus cura,

(1) Conf. REHTMEYERI *Hiſt. Eccleſ. Brunſu.* P. III. p. 247.

ne lumen Euangelii exortum, per Pontificiorum & Sectariorum errores exſtinguatur, aut ad minimum obfuſcetur. Deinde monet ſe praeuidere, Pontificios gloriaturos eſſe, noſtram doctrinam eſſe falſam, & nullius pretii, quum tot erroribus intra breue temporis ſpatium anſam dederit, quod LVTHERANI ipſi inficias ire non poſſint, quin potius horum errorum auctores atque defenſores, qui inter ſe exiſterunt, ipſi nominarent. Verum hanc gloriam Pontificiorum uanam eſſe, MORLINVS ex eo inprimis oſtendit, quod coetus Pontificius omnes illos errores iunctim alat atque foueat, ex quibus unum aut alterum hic uel ille ex Pſeudo-Lutheranis ſigillatim defendit. Monſtrat id exemplis OSIANDRI, MAIORIS, ZWINGLII, CALVINI, ADIAPHORISTARVM, STNERGISTARVM, ENTHVSIASTARVM & SCHWENCKFELDIANORVM in medium adductis, & quam mirifice hi omnes cum Pontificiis conſpirent, indicat. Deinde uero monet: Illationem Pontificiorum falſam eſſe, qui inde, quod multae ſectae ex LVTHERI aſſeclis exortae ſint, colligunt, noſtram doctrinam, non inniti uerbo Dei, neque eccleſiam noſtram ueram eſſe poſſe. Nobis enim eſſe perſuaſum, illi coetui, qui doctrinae puritatem amat & conſeruare ſtudet, diabolum intereſſe cum falſis ſectis, & ut illi noceat, operam dare. Hinc Seruatorem noſtrum illos, quos ipſe inſtituit, admonere, ut caueant ſibi a falſis doctoribus, Matth. VII. & PAVLVM ſcribere ad illos, qui doctrinae purioris amore flagrabant: *Ex Vobis prodibunt Viri peruerſa docentes, ut incautos decipiant, & in partes ſuas trahant*, Act. XX. 30. Id ipſum quoque Chriſti uerbis confirmari tradit, docentis: In eo ipſo agro, ſcilicet in uera eccleſia, in quem bonus paterfamilias, Deus optimus maximus, nobile & bonum ſemen iecit, etiam zizania, ab hoſte humani generis, diabolo, proiecta, progerminatura eſſe, Matth. XIII, 25. Tandem uero myſterium iniquitatis, in coetu Pontificiorum obuiae, detegit, & uiuis coloribus depingit. (1)

§. XXIX.

(1) Conf. *Additament.* Num. X.

§. XXIX.

Quanquam autem EITZENIVS noſter, in ipſo Luneburgenſi conuentu, ſcripto Theologorum omnium, qui ibi aderant, nomine, a MORLINO confecto, ſubſcripſerat, diſſuadebat tamen poſtea, quantum poterat, eius publicationem. Fecit id in tribus, quae ad manus habeo ſcriptis, in litteris ſcilicet ad Senatum Hamburgenſem, & ad VALENTINVM CVRTIVM, Superintendentem Lubecenſem, Anno clɔ lɔ LXI. illis die XIII. his die XXIX. Octobris exaratis,(1) denique in Praefatione libri germanico idiomate ab ipſo editi & anno clɔ lɔ LXII. Hamburgi apud IOACHIMVM LEWE, in forma quarti ordinis impreſſi. Vt uero rationes Viri beati nobis innoteſcant, quibus motus eſt, ut in editionem ſcripti Luneburgenſis non conſenſerit, exponam eas ipſius uerbis. Accipe igitur Lector humaniſſime litteras ipſius ad Praeſulem Lubecenſem ſcriptas ita ſe habentes:

> Salutem per Chriſtum, Reuerende Vir, frater chariſſime. Accepi litteras tuas & clariſſimi Domini Syndici, ac mentem & uoluntatem Veſtram intellexi. Reſpondebo autem ad praecipuum caput litterarum. Et

Primo ad huc quidem affirmo, me totam actionem Luneburgenſem non aliter accepiſſe & intellexiſſe, quam quod omnia agerentur ad comprobationem ſuperiorum, & in ea me fuiſſe ſententia, ſciunt mei adiuncti: Sciunt quoque omnes Theologi, quid in noſtra pugna de inſtructione dixerim, & quod conditionem ratificationis Magiſtratus noſtri expreſſe nominauerim. Quod ſi aliter feciſſem, mallem ſane fateri culpam in transgreſſione inſtructionis, quam propter meam ſubſcriptionem urgere Magiſtratum noſtrum, ut id faceret, quod uiderem, non eſſe conſultum, & quod Magiſtratus pro-

(1) Vtraeque litterae inſertae ſunt *Bibliothecae Danicae* P. IV. p. 197-207.

pter graues & non impias cauſas omittere uel differre mallet, donec aliae rationes utiliores tentatae eſſent. Miror etiam, quid cauſae ſit, quam ob rem tantopere contra conditionem ràtificationis Magiſtratus pugnetis, quum haec ipſa conditio eo ipſo ſit confirmata, quod ad publicationem mandati in his ciuitatibus ratificationem noſtri Senatus poſtulauiſtis. Et certe talis publicatio mandati res minor eſt, quam publicatio ſynodalis cenſurae condemnatoriae. Illud enim particulare, hoc uero uniuerſale eſt. Nec minus confirmata eſt ea conditio ratificationis, circummiſſione libri, quae cur facta eſt? ſi non iudicium & approbatio poſtulanda fuit. Niſi fortaſſis dicetis, etiam praefationem, quae tunc nondum cogitata aut ſcripta fuit, quantum ego ſcio, ſine ratificationis conditione approbatam fuiſſe, & tantum ex gratia monſtratam, quae quidem praefatio durior eſt ipſo ſcripto, & multo magis implicat Magiſtratus, quam ſi mandatum aliquod fuiſſet publicatum.

Secundo rogo te ſummopere, ut memineris, quod in penultimis litteris tuis ſcripſeris, quas die abhinc decimo accepi. Nimirum haec ſunt tua uerba: *Quid faciam quum ſcias per me non ſtare, ſi ita te intricatum tenent contra uoluntatem & conſcientiam, ut cogaris facere, quod non libenter facis. Cur mihi ſuccenſes, quod hoc, quod tu coactus & inuitus facis, facere nec poſſum nec uolo: aut cur mihi perſuadere conaris, ut tecum faciam, hoc quod tute libentius non faceres.* Crede mihi, quod his uerbis me ualde confirmaueris in mea ſententia, quia uideo tibi idem displicere, quod mihi displicet, licet non auſis idem dicere. (1) Abſit autem

(1) Fatendum mihi eſt, me non aſſequi, quomodo ex his ſummi Praeſulis Lubecenſis uerbis EITZENIVS eum ſecum ſentire colligere potuerit.

autem a me, ut in corde dicam in tam graui cauſa: *Video meliora proboque, deteriora ſequor.*

Vt autem intelligas me non temere ſed propter graues cauſas Vobis non aſtipulari, ideo breuiter aliquas cauſas explicabo.

I. Noſti propter conuentum *Neoburgenſem* (1) a Magiſtratu Lubecenſi conuentum Lunaeburgenſem indictum eſſe (niſi fortaſſis aliae cauſae impulſiuae fuerint, & Magiſtratibus tam ueſtro quam noſtro & mihi incognitae.) Iam uero acta *Neoburgenſis* conuentus nondum per impreſſionem publicata ſunt, & idcirco integrum adhuc eſt Principibus ea mutare, ac inter ſe & cum Saxonicis Principibus de ſententia confeſſionis iuxta articulos Smalcaldicos, de quibus erat ibi contentio, conuenire, cuius rei ſpem bonam mihi illud facit, quod BRENTIVS tam acriter pugnat contra Sacramentarios, & quod Princeps Elector AVGVSTVS tam ſeuere mandauit Wittebergenſibus Theologis, ut ſe declarent, & a LVTHERI doctrina non recedant: Si haec adhuc fient, certe potius congratulari quam condemnare debebimus, ſicut ſcriptum eſt: *Congratulamini mecum.* Quod ſi non fieret, tum nobis haec exſpectatio in ſpe bona, cum inuocatione Dei coniuncta, neque coram Deo neque coram eccleſia erit ignominioſa aut damnoſa.

II. Fateri neceſſe eſt condemnationes praecipue contra Lipſienſes & Wittebergenſes adornatas eſſe. Quum uero illi ſint

(1) Nullus dubito, quin Conuentus Numburgenſis hic intelligendus ſit. Id enim eſt certiſſimum, ut ex antea dictis conſtat. An EITZENIVS illam ciuitatem, a qua Conuentus iſte nomen habet, Neoburgum appellauerit, an uero is, qui haec deſcripſit, male legerit, neſcio. Me minimum haec hunc locum denominandi ratio latet.

ſint uicini, certe ad ſynodum uocari accuſari, argui & admoneri debuiſſent. Et quia hoc factum non eſt, certe mea ſententia haec eſt, quod neceſſarium & iuſtum ſit, ut articuli accuſationis & condemnationis ante publicationem ipſis mittantur, cum graui obiurgatione & admonitione. Sic cogentur ad declarationem. Nam procul dubio talis admonitio multum habebit ponderis & auctoritatis. Sic certe admonitus eſt NESTORIVS, haereticus manifeſtus, a Synodo Epheſina; cur nunc idem fieri non debet? Quod ſi uero accepta tali admonitione aut non uoluerint ſe declarare, aut inſuper profeſſi fuerint errores manifeſtos contra uerbum Dei, aut Auguſtanam Confeſſionem, eiusque declarationem in Apologia, Schmalcaldicis articulis, Catechiſmo & aliis ſcriptis LVTHERI, tunc condemnationes iſtae Synodales erunt tempeſtiuae & ualde neceſſariae. Abſit enim a me, ut auctor & ſuaſor eſſe uelim conniuentiae ad errores & haereſes manifeſtas: Extant publica ſcripta noſtrarum eccleſiarum contra Interim, OSIANDRVM, MAIOREM, Anabaptiſtas, Sacramentarios & de Adiaphoris. Ab illis confeſſionibus nunquam in uita mea, Deo dante, diſcedam. Paratus enim ſum, pro ueritate Chriſti ſanguinem fundere, ſi Deus hoc uoluerit, & certus ſum, me non peccare, quod ſine diſpendio ueritatis Chriſti & Confeſſionum, antea a nobis editarum, malo tentari uias iuſtas & pias ad Concordiam, quam, feſtinata ſynodali condemnatione, omnem ſpem concordiae abſcindere. Fateor me quotidie orare Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ut ſanatis uulneribus faciat nos unum ſentire, credere & dicere in Chriſto, & procul dubio multa millia piorum ſic etiam orant. Nec uideo cauſam, cur illud, quod oramus etiam inuocatione Dei, per iuſtas & pias uias tentare non debeamus.

III. Vi-

III. Vidisti & legisti supplicationes & litteras Illyrici, & plurium aliorum Theologorum & Concionatorum, ad Principes, Magistratus, & Theologos, quae praeterito mense iterum ab ipsis editae sunt ; in illis postulant synodum piam, in qua audiantur & audita utraque parte fiat diiudicatio. Eadem causa est, itaque cogita, annon illis ipsis supplicationibus condemnentur nostrae actiones, si non recte processerimus.

IIII. Existimo quoque nobis accurate considerandum esse, ne publicatio condemnationum nostras ecclesias conturbet. Certum est autem articulos Lubecenses Moloniae & Luneburgae propositos eo principaliter spectare, ut grassantibus ubique erroribus in his ecclesiis consensus in uera doctrina conseruetur, & hanc fuisse tunc temporis articulorum mentem, id indicat & testatur clare deliberatio & recessus Molonienſis. Atqui uero metuendae sunt in nostris ecclesiis non leues commotiones, & distractiones, si nulla habita ratione melioris consilii, & non tentatis iustis & piis uiis ad Concordiam, condemnationes festinanter publicabuntur. Multis enim non malis nec impiis, nec infidelibus Ministris Christi & ecclesiae, qui in omnibus partibus doctrinae nobiscum contra haereses concordant, hic modus procedendi displicebit, si eos cogere uolent alii ad approbationem, aut publicis delationibus & conuiciis in sectari. Hoc certe perpendere iam debemus, ne postea nos facti poeniteat.

V. Nosti charissime frater, inter nos & Theologos, qui de aliquibus partibus doctrinae diuersas habent opiniones, ut pote de Vbiquitate, de forma loquendi in abstracto, de uerbis Christi : *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus ;* item de phrasi *quod bona opera obsint saluti.* Tales dissentientes opiniones si uicissim nobis obiecerint Wittebergenses & Lipsienses, quid sequetur ?

VI. Sunt etiam ſenes, praeſtantes & exercitati Theologi, BRENTIVS, PISTORIVS &c. qui certe de hac tota cauſa ante publicationem, qualis flagitatur, conſulendi etiam erant: Procul dubio enim & ipſis conſeruatio & defenſio uerae doctrinae contra haereſes tam eſt cordi, quam nobis: Cur autem nondum ad tales ſynodales condemnationes accedant, procul dubio grauibus cauſis mouentur.

VII. Magiſtratus noſter ſine omni dubio non propter leues nec propter impias cauſas, publicationem approbare non poteſt. Non decet autem ut in hac communi & difficili cauſa omnino Magiſtratus noſtri non impiam ſollicitudinem contemnam. Certo enim ſcio, Dominis meis religionem & doctrinam ueram non minus curae ac cordi eſſe, quam mihi & collegis. Habitat etiam in ipſis Spiritus ſanctus, inſpirator & gubernator ſanctorum & utilium conſiliorum, quum ſine mala conſcientia ambulant in timore Dei.

VIII. De praefatione neceſſaria eſſet collatio ſententiarum. Nam talem, qualis nunc eſt, ego non probo.

Hae ſunt cauſae praecipuae, quae me monent, ut aſſentiri uobis de publicatione libri, ſicut poſtulaſtis, non poſſim. Quas ſi diligenter perpenditis, uidebitis me in hac cauſa nihil temere facere. Itaque maneo & perſiſto in mea ſententia & uoluntate, de qua antea ad te ſcripſi. Scripſit etiam huc ante biduum, quidam ex Concionatoribus Luneburgenſibus non poſtremus, ſi debeat illa publicatio condemnationum, ſicut flagitatur, procedere, tunc plerosque ex miniſterio libentius diſceſſuros, quam tales actiones comprobaturos eſſe. Hinc certum eſt Luneburgenſes concionatores non conſenſiſſe. Dominus Ieſus Chriſtus regat nos ſuo ſancto Spiritu, ut ſimus organa utilia eccleſiae. Amen. Quod ſi in ueſtro propoſito pergetis,

tis, tunc hoc cura, ſicut antea ſcripſi ut nomina noſtra, qui in hac eccleſia docemus, omittantur. Nam eccleſiae noſtrae nomine non debet ille liber publicari. Bene uale 29 Octobris Anno 1561.

Paul von Eitzen.

Easdem rationes adducit in litteris ad Senatum Hamburgenſem ſcriptis, & publicationem ſcripti Luneburgenſis diſſuadet. (1)

§. XXX.

Verum experiebatur EITZENIVS, omnem ſuam operam, ad impediendam editionem ſcripti Luneburgenſis adhibitam, irritam fuiſſe. Prodiit enim, ut ſupra obſeruaui, eo ipſo anno clɔ lɔ LXI. Magdeburgi, & quidem nomine EITZENIANO in ſubſcriptione non omiſſo ſed expreſſo. (2) Hinc aliquot poſt eius publicationem hebdomadibus elapſis, quemadmodum ipſe EITZENIVS in praefatione ſcripti iam memorandi id refert, euulgabat librum, quem ita inſcripſerat: Rechte und wahre Meinung und Verſtand Göttlicher Schrifft, und der Augſpurgiſchen Bekanntnus von etlichen Artickeln, welcher ein ſchlechte Erklerung itzt nöthig iſt. Zuſammen gezogen aus der Augſpurgiſchen Bekanntnus, die Anno 30. vbergeben iſt, aus der Apologia, Schmalcaldiſchen Artickeln, vnd Catechiſmo Lutheri, vor alle diejenigen, die Warheit und Frieden lieb haben. Impreſſus eſt Hamburgi, anno clɔ lɔ LXII. per IOACHIMVM LEWE, in forma quarti ordinis. In huius libri praefatione (3) rationes ſuas, cur in publicationem ſcripti Luneburgenſis non conſentire potuerit, omnium oculis exponit. Nolo eas

(1) Conf. *Additamenta* Num. XI.

(2) Aliarum editionum huius ſcripti mentionem facit Ven. STARKIVS in *hiſt. eccleſ. Lubec.* p. 164.

(3) Lege eam ſi placet in Additamentis Num. XII.

eas repetere, quum plane conueniant cum iis, quibus in litteris, ad VALENT. CVRTIVM, Superintendentem Lubecenſem, datis, uſus erat. Non tantum hodie id ipſi a multis uitio uertitur, qui eum ideo inconſtantiae, leuitatis, culpandae tepiditatis & nimii in Praeceptorem ſuum MELANCHTHONEM amoris inſimulant, (2) ſed eo ipſo etiam tempore, quo ſcripta erat, nonnulli hac praefatione quam maxime offendebantur. Inprimis ideo contra EITZENIVM inſurgebat IOACHIMVS MORLINVS, ſummus Praeſul Brunſuicenſis, qui ſcripti Luneburgenſis Auctor erat. Exſtat enim de eo in bibliotheca Hamburgenſi publica, quae a Diuo IOANNE nomen habet, ſcriptum hactenus, quantum mihi conſtat, ineditum, in quibus ſumma capita recenſentur, quae EITZENIO in praefatione ſua publicationem declarationis Luneburgenſis improbanti reſpondenda ſint. Generatim MORLINVS in EITZENIO reprehendit, quod has ipſas rationes non in ipſo conuentu Theologorum Luneburgenſi propoſuerit, aut ſi hae ipſi poſtea demum in mentem uenerunt, quod non cum uicinis eccleſiis, antequam eas publicae luci exponeret, communicauerit. Hoc enim non ſine detrimento Saxonicarum eccleſiarum ab ipſo factum eſſe arbitratur. EITZENIO, has confutationes potiſſimum contra Wittebergenſes & Lipſienſes ſuſceptas eſſe, ſuſpicanti, reſpondet : Neque in conuentu neque in ſcripto Luneburgenſi uel Wittebergenſes uel Lipſienſes nominatos eſſe, ſed ſimpliciter errorum mentionem eſſe factam, eosque in tantum condemnatos, quod eccleſiae Saxonicae illos non probarent, neque eos ferre uellent. His ad ſtipulatum eſſe EITZENIVM Luneburgi : Si in eadem ſententia perſeueraret inanem iam eſſe contradictionem.

Vrſerat EITZENIVS Wittebergenſes & Lipſienſes ante quam condemnationis fulmen in ipſos uibraretur ad ſynodum fuiſſe uocandos atque accuſandos. Ad haec MORLINVS regerit : Theologos Saxonicos, qui Luneburgi fuerunt, nullum habere in Wittebergen-

(2) Conf. STARKIVS l. c. p. 166.

bergenſes & Lipſienſes imperium. Sic uero abſonum fuiſſe ſi auſi fuiſſent ipſos ad ſynodum uocare. Quod ſi uero EITZENIVS inde, quod non uocati ſint ad ſynodum, inferre uelit, eos non eſſe admonitos neque accuſatos, ipſum facile animaduerſurum hanc illationem falſam eſſe. Contrarium apparere ex tot egregiis ſcriptis, etiam ab Hamburgenſibus Theologis editis; porro ex ciuitatum Saxonicarum ſtudio, qui Theologos ſuos anno clɔ lɔ LVII Wittebergam miſerint, ut certamina, quae MELANCHTHONEM atque FLACIVM inter, ab aliquot annis, interceſſerant, pie placideque componerent, cui legationi EITZENIVS ipſe interfuerit. Idem negotium ſibi etiam Ducem Megapolitanum quam maxime commendatum habuiſſe. Sic uero ipſum Spiritum ſanctum Theologos Saxonicos, qui Luneburgi adfuerint, ab omni reatu hac in parte abſoluere. Feciſſe enim illos, quae facere debuerant iuxta illud ad Titum III. 10. *Haereticum hominem poſt unam atque alteram admonitionem uita.* Scripſerat EITZENIVS: Si Wittebergenſes atque Lipſienſes ad ſynodum uocati ibidemque accuſati fuiſſent, eos impulſos fuiſſe ad declarationem doctrinarum ſuarum, quibus ſe aliis ſuſpectos reddiderant, edendam. Ad haec MORLINVS: Iſtiusmodi declaratione non eſſe opus, neque ſe requirere aut expetere eam: Deum enim iubere ut ii, qui coetibus ſacris tanquam doctores praeſunt, formam habeant ſanorum uerborum. Eſſe leuiſſimi animi indicium aliquid puritati doctrinae, ex uerbo Dei diiudicandae, contrarium ſcribere & loqui, deinde uero declarationibus cauſae malae ſuccurrere. Hanc petulantiam eſſe fugiendam atque deteſtandam. Pergit EITZENIVS: NESTORIVM, haereticum manifeſtum, a ſynodo Epheſina, antequam condemnaretur, eſſe admonitum. Ad quae MORLINVS reponit: Cum multis aliis haereticis eccleſiam aliter egiſſe. Hinc prouocat ad uerba AVGVSTINI (1) *An congregatione ſynodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur. Quaſi nulla haereſis aliquando niſi ſynodi congregatione damnata ſit, quum potius rariſſime inueniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis exſtiterit, multoque*

(1) Occurrunt haec Tomo VII. Opp. in fine Libri IV. *contra duas epiſtolas* PELAGII.

ſint atque incomparabiliter plures, quae ubi exſtiterunt illic improbari damnari-que meruerunt, atque inde per ceteras terras deuitandae innoteſcere potuerunt. Cetera. Scire quoque EITZENIVM ſcribit MORLINVS, antequam Concilium Epheſinum congregaretur, NESTORIVM iam a CYRILLO aliisque condemnatum eſſe. Quemadmodum etiam ARIVS iam ab ALEXANDRO, antequam Concilium Nicaenum habitum fuit, ſit condemnatus. Quae condemnationes, quum nunquam iure a quoquam ſint improbatae, niſi ab errorum Auctoribus ipſis, ut tempus atque occaſionem lucrarerentur uenenum ſuum ulterius diſſeminandi, mirari ſe, cur EITZENIVS illas intempeſtiuas aut iniuſtas eſſe pronunciet. Inſtat EITZENIVS: Supplicationibus ILLTRICI, aliorumque Theologorum, condemnari ea, quae Luneburgi acta ſint.

Sed reſpondet MORLINVS, ſe cupidum eſſe percipiendi ab EITZENIO, quomodo ſupplicatio ILLTRICI ea, quae Luneburgi decreta ſunt, condemnare poſſit. ILLTRICVM ſynodum expetere. Ideo uero uerbum Dei non eſſe ſuſpendendum, neque falſam doctrinam tolerandam, neque libertatem eam condemnandi atque deteſtandi cuiquam ademtam. Haec ſi ſynodus inuolueret, miſerae & adflictae eccleſiae ſynodis male conſuli: Sic enim illas impedimento eſſe, quo minus eccleſiarum Miniſtri officio ſuo recte defungantur.

Obiicit EITZENIVS: Publicatione condemnationum, Luneburgi factarum, pacem in eccleſia noſtra turbari, huncque agendi modum multis piis eccleſiae miniſtris, omnes haereſes & errores ceteroquin odio habentibus, diſpliciturum eſſe. MORLINVS ad haec reſpondet: Vel infimum eccleſiae Miniſtrum ſcire aut ſcire debere ex uerbo Dei, errores eſſe corripiendos atque damnandos, ſiue errantes ad Chriſtianam Concordiam & coniunctionem perducantur, ſiue minus: Neque quenquam errores fouentem & ſpargentem cum eccleſia conciliari, niſi ipſe errores ſuos condemnet, alios ut ſibi ab iſtis cauere uelint, moneat, & puritati doctrinae ſtudeat, ut illi qui ab ipſo in perniciem ducti ſunt, eius exemplo & reſipiſcentia ad ueritatem amplectendam denuo perducantur. Haec autem, quum unica uia ſit ad Chriſtianam concordiam cum erran-

errantibus ineundam, ſe non uidere, quomodo agendi modus Luneburgi obſeruatus piis & eruditis eccleſiae Miniſtris diſſenſionis anſam dare poſſit. Ad nouam obiectionem EITZENII: Conſultius fuiſſe, ut ante publicationem, conſilia aliorum Theologorum praeſtantium, & uſu exercitatorum, ſibi expetiuiſſent, regerit MORLINVS: Paulum ſcribere: Rom. XIV. Vnicuique pro ſe ipſo rationem reddendam eſſe. Neque multum ponderis ineſſe, putat MORLINVS, illi rationi ab EITZENIO adductae, qua contra publicationem ſcripti Luneburgenſis pugnat; Sibi ſcilicet non conueniſſe in hac communi cauſa Magiſtratus ſui ſententiam penitus contemnere. Regerit ad haec MORLINVS: Ipſi conueniſſe, ut Magiſtratum ſuum de toto hoc negotio melius inſtruxiſſet. Ideo eum conſtitutum eſſe a Senatu ſummum Praeſulem, ideo ſtipendium ipſi perſolui. Neque pio atque Chriſtiano Magiſtratui in dedecus atque opprobrium cedere, ſi meliora ſe ex uerbo Dei edoceri patiatur. Quam meliorem informationem, quin etiam Magiſtratus Hamburgenſis admiſſurus fuiſſet MORLINVS minime dubitat. Quibus accedit, quod publicationem huius ſcripti, cum aliis ciuitatibus Saxonicis Hamburgum etiam, immo ipſe EITZENIVS Luneburgi ex communi conſilio approbauerit. Tandem EITZENIVS de praefatione ſcribit, ſe talem qualis ſcripto praefixa eſt non probare. Ad quae MORLINVS reſpondet: Se quam humaniſſime, ex animo, atque fraterne EITZENIVM, datis ad ipſum litteris, exoraſſe, ut ſi quaedam, uel circa praefationem, uel alia haberet monenda, ſibi indicaret. Verum EITZENIVM in reſponſoriis ſuis de his plane tacuiſſe. Quae, & quomodo autem ſibi ſcripſerit, ipſi perſpecta eſſe. His tandem uerbis finem ſuae reſponſionis facit. Praefatio mea, & contra diabolum, & mundum uniuerſum conſiſtet. Quod quidem non ſupplicibus uerbis oro, ſed ego IOACHIMVS MORLINVS id uolo atque iubeo, & Deo dante contra unumquemque defendam. (1)

§. XXXI.

(1) Scriptum hoc MORLINI ita inſignitur. Auf D. Pauls von Eitzen praefation Joachimus Morlin D. 1562. Summarien Verzeichnis worauf D. Paulo ab Eitzen zu antworten wäre. Exſtat in biblioth. publ. Hamb. inter MSta Hamburgenſia N. 13. in quarto. Conf. Additamenta N. XIII.

§. XXXI.

Non quidem eſt meum tantas componere lites: Verum qualiscunque mea ἐπίκρισις neque erit inutilis, neque Lectori ingrata. Primum igitur obſeruo: Quidquid etiam EITZENIVS ad impediendam publicationem ſcripti Luneburgenſis tentauerit, mihi tamen certo eſſe perſuaſum, eum hactenus puriori doctrinae fuiſſe addictiſſimum. Non enim improbabat doctrinam in ſcripto Luneburgenſi expoſitam atque repetitam, ſed inhaerebat illi eamque ueram eſſe profitebatur, ſed diſplicebat illi editio & adiecta praefatio, non aliam ob cauſam, quam quod nouos inde motus tempeſtatesque metueret. Quando autem eum, hactenus puriori doctrinae fuiſſe addictiſſimum ſcribo, haec non ita capienda ſunt, ac ſi exiſtimarem, eum poſtea a puritate doctrinae defeciſſe. Abſit a me ut id ſtatuam. Ideo tantum cautius loquor, quod nondum omnia, quae poſtea contra formulae concordiae ſubſcriptionem molitus eſt, exacte explorauerim. Hinc nolo inconſiderate aliquid definire. Quanquam ſcio magni nominis Theologos, quod ad doctrinae puritatem attinet, nihil unquam in eo deſideraſſe. Porro certum eſt illum pacis fuiſſe ſtudioſum & putauiſſe, his condemnationibus eam amitti, quum tamen adhuc ſpes ex eius ſententia affulgeret, Wittebergenſes & Lipſienſes, ſi denuo admonerentur, ad ueritatem amplectendam pronos futuros eſſe. Hactenus enim bene ſemper de illis ſperabat. In qua quidem ſpe & opinione fallebatur. Euentus enim docuit, fuiſſe illos peſſimos, & Caluiniano ueneno, aliisque erroribus infectos. Neque negare poſſum, amorem EITZENII, in Praeceptorem ſuum MELANCHTHONEM, nimium fuiſſe, cuius technas atque inſidias, quas potiſſimum ultimis uitae ſuae annis ueritati ſtruxit, noluit, ex amore in eum, animaduertere, ſed ſemper, quidquid etiam in ueritatis detrimentum ſuſcepit, in meliorem interpretatus eſt partem. Hic amor remoram ipſi iniiciebat quod publicationem condemnationum errorum, in ſcripto Luneburgenſi factam, probare nollet. Fateor quoque, eum humani aliquid paſſum eſſe, quando in Luneburgenſi conuentu decretis eius ſubſcribebat; deinde uero Senatui Hamburgenſi auctor erat, ne in publicationem huius

ſcripti

ſcripti conſentiret. Neque inficias ire poſſum, ualidiora mihi quidem uideri argumenta, quibus MORLINVS publicationem ſcripti Luneburgenſis aſſeruit, quam quibus EITZENIVS eam diſſuaſit. Denique omne robur rationum EITZENII contra publicationem ſcripti adductarum, a MORLINO eneruatum atque infractum eſſe exiſtimo. Scio equidem ab aliis EITZENIVM non tantum excuſari, uerum etiam laudibus extolli, quod ab omni condemnandi libidine, modoque, reciendi errores in confutatione, duriori, remotus fuerit. Verum quanquam libenter concedo libidinem condemnandi aliorum ſententiam in uitio ponendam, non tamen omne faſtidium condemnandi errores in Theologo laudandum eſt. Sunt enim nonnunquam duriora adminicula adhibenda, lenioribus ſcilicet fruſtra tentatis, ut ii qui errores ſparſerunt reſipiſcant, & cautius poſtea mercari diſcant, alii uero qui nondum ſeducti ſunt, ab his erroribus ſibi caueant. Neque condemnationes Theologorum tam horrendae ſunt, quam quidem nonnulli eas eſſe falſo ſibi imaginantur. Recte MORLINVS ſcripſerat (1) Theologos Saxonicos Luneburgi nonnullorum errores in tantum condemnaſſe, ut appareret, hos errores ab illis non probari, neque illos in ſuos eccleſiis eos ferre uelle. Quid in his uerbis duri quis deprehendit? His igitur formulis: *Condemnamus ſecus ſentientes*, quibus Theologi nonnunquam uſi ſunt, non omnis ſalutis ſpes errantibus praeciditur, quin potius contumaciores etiam, omni manſuetudine, in uiam reducere ſtudeant Theologi. Neque iisdem in errantes tum eccleſias, tum perſonas, iudicialem ferunt ſententiam, ac errantibus igni, quod aiunt, & aqua interdicunt, proſcriptionis fulmine eos feriunt, atque Magiſtratui ciuili trucidandos tradunt. Aequa definitione condemnationis in errantes pronunciatae, eccleſia Euangelica abhorret, neque quemquam hoc ſenſu, a recte ſentien-

(1) Verba eius haec ſunt: Es iſt weder Wittenberg noch Leipzig im Synodo noch in der Schrifft nicht gedacht worden, ſündern ſimpliciter de errores gemeldet, und dieſelbigen für unſer *intereſſe* ſo weidt und feren verdammet, daß wir ſie nicht billigen noch in vnſer Kirchen dulden oder leiden ſollen noch wollen.

ſentientibus damnatum eſſe, confidenter aſſeuero. Condemnationes enim, quando a piis, atque ueritatem amantibus Theologis in errantes exercentur, nihil aliud ſunt, quam adhortationes ad ſeriam reſiſpiſcentiam, quibus errantes, tum de erroris grauitate, tum de eiusdem periculo, ſerio admonentur, ut nuncium erroribus mittant, ne ſi in iis defendendis & incruſtandis pertinaciter perſeuerant, ſalutis aeternae iacturam faciant. (1) Quis uero id in Theologo aliquid praeclari atque eximii eſſe dixerit ſiquidem ab eiusmodi condemnationibus ſimpliciter abhorreat? quae illum quammaxime decent, & utique, ſi leniora adminicula fruſtra tentata ſunt, aduerſus errantes ſunt uſurpandae.

§. XXXII.

Propero ad finem dicendorum circa Luneburgenſem conuentum. Perceperat nempe Senatus Hamburgenſis, MORLINVM conſtituiſſe, calamum contra EITZENIVM ſtringere. Quoniam igitur motus inde in eccleſia noſtra metuebat, datis ad Senatum Brunſuicenſem litteris, rogabat ut MORLINO Antitiſti ſuo perſuaderet, ne ſcriptum ſuum EITZENIO oppoſitum, ederet. Senatus Brunſuicenſis, poſt quam in litteris reſponſoriis die XXII Aprilis, anno clo lo LXII ſcriptis, quae ab EITZENIO facta erant, improbaſſet, refert, ſe perſuaſione ſua effeciſſe, ut MORLINVS a confutatione publica contra EITZENIVM directa, abſtinere promiſerit. (2) Litteras MORLINI, ad Senatum Brunſuicenſem, hac in cauſa ſcriptas, Senatus Brunſuicenſis Hamburgenſi ſimul miſerat. In quibus MORLINVS miratur, Senatum Hamburgenſem, conniuendo, permiſiſſe Praeſuli ſuo EITZENIO, ut pro lubitu ſuo nulla ſolida & praegnanti ratione exiſtente decreta Luneburgenſia a Viris Politicis atque Theologis maturo conſilio comprobata, diſruperit, a ſe uero flagitare ut tempora calamitoſa, in quae miſera & afflicta eccleſia inciderat, perpenderet, ideoque fileret. Optare ſe ut hic eccleſiae ſtatus conſideratus fuiſſet, antequam

(1) Conf. HÜTTERVS in praefat. Concordiae Conc. n. 3.
(2) Litteras ipſas lege inſertas Additamentis N. XIV.

quam EITZENIVS concordiam ecclesiarum Saxonicarum confirmatam & stabilitam scripto suo inconcinno turbasset, sic neque sibi neque aliis ipsi contradicendi necessitatem impositam fuisse. Neque se in ea uersari sententia, quod miserae ecclesiae praetextu sibi silentium imponi uelit ab illis, qui illam minime curent, praesertim si Magistratus Hamburgensis porro Superintendenti suo permiserit scribere, quae uoluerit. Rogare se igitur Magistratum Brunsuicensem, ut Hamburgensem humaniter admoneat, ut Superintendenten suum, pacem atque concordiam harum ecclesiarum magis quam hactenus ab illo factum sit, sibi commendatam habere curet. Se quidem sibi hac uice, ut animum suum pacis studiosum demonstraret a publica confutatione EITZENII temperaturum. Quod si uero expertus fuerit, aduersarios ad scriptum EITZENII, in detrimentum nostrarum ecclesiarum prouocaturos esse, se sibi reseruare libertatem, ea, quae ecclesiae profutura sint obseruandi, & tam praefationem, quam scriptum Luneburgense ipsum contra unumquemque defendendi. (1)

§. XXXIII.

Eodem hoc anno cIↃ IↃ LXI. lis inter Capitulum, & ciuitatem Hamburgensem, a tempore sacrorum, Hamburgi repurgaorum coram iudicio Camerali Caesareo acta, per compositionem Bremensem diremta est. Referam tantum ea, quae in hac compositione de sacri ordinis Viris definita sunt. Eximuntur scilicet in ea, a iurisdictione Capituli Superintendens & Lector Secundarius, Pastores atque Diaconi IV. Parochiarum, nec non Ecclesiastae ad Diui Ioannis, Georgii, Spiritus S. & Mariae Magdalenae aedes, Praeceptores omnesque Pastores extra ciuitatem, in agris Hamburgensium officio sacro fungentes. Promittit quoque Capitulum se-

(1) Etiam has litteras ex MSto edi curaui, in Additam. Num. XV. Conf. praeterea de hoc Luneburgensi conuentu STARKIVS in *hist. eccles. Lubec.* p. 164 sqq. & Auctores ab eo citati quibus addatur D. HENR. MVHLIVS in *reformat. relig. in Cimbria* p. 104 sqq. & SALIGIVS in *hist. Aug. Conf.* P. III, L. X. Cap. VI. p. 764 sqq.

uigore pacis religionis nullam iurisdictionem ſacram, usque ad omnimodam Chriſtianam compoſitionem exercere uelle. (1) Circa Lectorem primarium & ſecundarium ita conuenerunt, quod poſt deceſſum eo tempore uiuentis Doctoris PAVLI AB EITZEN, & ſublectoris M. IOACHIMI DEGENERIS proximus Superintendens atque ſublector cum ſucceſſoribus ſuis a Conſule Seniore, & ſtructurario Capituli, eligendi, a Capitulo uero praeſentandi a quo etiam collationem atque poſſeſſionem impetraturi ſint, & quod in poſterum iuramenti loco, data dextra, ſe obligare debeant. (2)

§. XXXIV.

Fuit nonnullis ſacri ordinis Viris, qui Hamburgi docebant, Caluiniſmi, in doctrina de ſacra Coena, ſuſpectus THEODORICVS GEORGII (3) Friſius, Eccleſiaſtes primo Stadenſis, deinde ab anno clɔ lɔ XLVIII. Paſtor Ioannaeus Hamburgenſis, tandem ab anno clc lɔ LI Antiſtes ad Diui NICOLAI aedem in hac ipſa noſtra ciuitate. Eum a beato WESTPHALO atque GEORGIO IAPPIO in publicis concionibus Caluiniſmi inſimulatum eſſe, IOANNES MOLLERVS refert. (4) In fidem eorum, quae narrat, excitat IOACHIMI DEGENERIS epiſtolas ad PAVLVM EITZENIVM ineditas.

Quum

(1) Haec in inſtrumento pacis Weſtphalicae ita ſunt deciſa, ut quisque ea, quae anno decretorio clɔ lɔ CXXIV poſſedit, retinere debeat.

(2) Haec, quanquam ita ſunt conſtituta, in proxima tamen Superintendentis WESTPHALI & Lectoris Secundarii WERMERI electione non ſunt obſeruata, quod in uita WESTPHALII a me inſtauranda uberius oſtendam. Quum uero haec compoſitio Bremenſis memorabilis admodum hiſtoriae Sacrae Hamburgenſis pars ſit, eam Additamentis N. XVI. integram inſerendam eſſe putaui. Ad quae lectorem de ea plura ſcire cupientem ablego.

(3) Dictus etiam eſt Dirck Freſe, Dirck van Stade, Theodoricus Iarius Phriſius v. STAPHORSTII Jährliche Geſtalt des Hamburg. Predig-Ampts p. 16. & MOLLERVS in *introd. ad hiſt. Cherſ. Cimbr.* P. IV. p. 582. ubi eum etiam ZARIVM dictum fuiſſe perhibet. Vereor autem ne IOANNES ZARIVS, qui eo ipſo tempore ab anno ſcilicet clɔ lɔ LV Eccleſiaſtes Nicolaitanus erat, cum hoc confundatur.

(4) l. c. in notis num. 62.

Quum uero EITZENIVS eo tempore quo haec gesta sunt, ipse Hamburgi summi Praesulis officio fungeretur, uel EITZENIO tum fortassis peregre profecto haec perscripsit, aut etiam ei iam gubernationem ecclesiarum Slesuicensium curanti, quae eius tempore Hamburgi contigerunt in memoriam reuocauit. Id certum est, GEORGIVM apud alios Collegas suos, in Caluinismi suspicionem ueniisse. Apparet id non tantum ex eius confessione ultima, coram EITZENIO edita, & in scripto infra memorando expositа, uerum etiam ex PETRI BOKELMANNI ad CONRADVM BECKERVM epistola, anno clo lo LVII scripta, in qua haec occurrunt: *Sunt anni* IV *aut* V, *quod Baptista Thuringus iste, quem nosti, mihi narrauit, esse Hamburgi ad S. Iohannem, qui teneat* CINGLII *dogma, & palam professurum esse ubi occasio de Sacramentis dicendi in Catechismo oblata fuerit. Hunc puto fuisse* THEODORICVM *uestrum Phrysium, & recordor iam me ante haec uobis perscripsisse.* (1) Qua uero suspicione se non tantum liberauit, quum anno clo lo LX. die XIX Iulii Confessionibus ecclesiae Hamburgensis & inter eas etiam scripto, Sacramentariis, anno clo lo LVII, oppositо subscripsit, sed etiam quando in morbo ultimo morti uicinus in praesentia EITZENII aliorumque, suam de sacra Coena confessionem edidit, sententiae saniori, cui genuini LVTHERI assectae inhaerent, consentaneam. Ita uero se semper docuisse, & eam animo semper infixam habuisse sententiam ingenue testatur. Vt igitur bona huius Viri fama & existimatio ad posteros transmitteretur, EITZENIVS schedam edebat dialecto Saxonica expressam, quam inscripsit: Wahrhafftige Tücheniße van der latesten Bekenteniße und saligen Affschede des Erwerdigen Wolgelerden Here Diedrich Jarii, edder Jürgens, saliger Gedechtniße, Pastorn des Carspels St. Nicolai binnen Hamborch. Datum est hoc testimonium anno clo lo LXI die XXVII Nouembris & Hamburgi per IOACHIMVM Low eodem anno in forma quarti ordinis impressum. (2)

§. XXXV.

Deueniendum nunc est ad motus Bremenses recensendos,

(1) Conf. SELENII *Philocal. Epist.* p. 54.
(2) Conf. Additamenta Num. XVII.

quibus componendis cum aliis Theologis EITZENIVS noſter ſtrenue & magna dexteritate operam dedit. Ne hiſtoriae filum abrumpendum mihi eſſet, ea, quae iam annis praeteritis EITZENII in his partes fuerunt, ſilentio praeterii, & anno huius ſeculi LXII, quo ultimam operam Praeſul noſter Bremenſium rebus adhibuit, reſeruaui. Non eſt mei inſtituti, ut integram horum certaminum hiſtoriam contexam ab aliis ſcriptoribus traditam (1): Sed in tantum de iis exponam, in quantum uel EITZENIVS ut arbiter iis implicitus fuit, uel etiam acta ordinis noſtri documenta quaedam inedita aſſeruant, ex quibus Bremenſium rebus lux affundi poteſt. Eſt autem urbs Bremenſis prmis annumeranda ciuitatibus,

(1) Eam expoſuerunt SIMON MVSAEVS in der wahren Hiſtorie Sacramentiriſcher Aufruhr in der Stadt Bremen 1562 latino idiomate edita poſtea uero per MARTINVM CHEMNITIVM Germanice uerſa Roſtochii A. clɔ lɔ CXVII. in 4. DITMARVS KENKELIVS, Conſul Bremenſis in *breui & dilucida & uera narratione de initiis & progreſſu controuerſiae Bremae a Doctore* ALBERTO HARDENBERGIO *mota oppoſita recenti ſcripto* HARDENBERGII *de ubiquitate & Coena Domini*. Vrſellis clɔ lɔ LXV. in 8. In der nothwendigen Entſchuldigung und wahrhafften Bericht der verjagten Prediger zu Bremen, auf die Verläumbdung ihres Gegentheils, daraus leichtlich zu ſehen, welch Theil bey der Augſpurgiſchen Confeſſion und Schrifften Lutheri geblieben oder davon abgetreten und des Lermens ein Urſache ſey A. 1564 in 4. IOANNES WIGANDVS in *Sacramentariiſmo* fol. 378 ad 389. Auctores der Gründlichen und wahrhafftigen Hiſtorie der Augſpurgiſchen Confeſſion quae Magdeburgi clɔ lɔ XXXIV in 4. prodiit fol. 322 ſqq. Ven. VAL. ERN. LOESCHERVS *in Hiſtoria Motuum* P. II. Cap. V. p. 134 ſqq. & Cap. VIII. p. 177 ſqq. REHTMEYERVS *in hiſt. eccleſ. Brunſuic.* P. III. p. 238 ſqq. STARCKIVS *in hiſt. eccleſ. Lubec.* p. 157 ſqq. A parte Bremenſium uero qui Conſulis BVRENII & HARDENBERGII partibus addicti erant prodiit: Nothwendige Verantwortung und beſtändiger beweislicher Gegenbericht des Raths und Gemeine der Stadt Bremen, wider die Unchriſtliche ungegründete, derſelben Widerwertigen dero ausgetrettenen geweſenen des Raths daſelbſt hin und wieder geſprengete Verleumbdung, und inſonderheit wieder die Meuchlings abgetruckte Ehrenrührige leſterliche Schrifft Dithmar Kenckels geweſenen Bürgermeiſters, quod ſcriptum anno clɔ lɔ LXVI. in 4. editum eſt. Quibus addi poteſt SALIGIVS *in hiſt. Aug. Conf.* P. III. L. X. Cap. V. p. 715 ſqq. De quo Viro obſeruandum eum erga Theologos purioris doctrinae defenſores infenſum prodere animum, et abiecte plerumque de illis ſcribere, in hoc capite uero Bremenſes iuxta CALVINI doctrinam reformatos eſſe adulatum. Quando uero de controuerſiis Theologicis iudicium fert eas extenuat. Caute itaque legendus eſt, eiusque iudicia flocci pendenda ſunt.

bus, quae doctrinam, LVTHERI ministerio repurgatam, receperunt. Non tantum uero sordes doctrinae Pontificiae adhaerentes abiecerat, sed etiam quos ZWINGLIVS sparserat errores auersabatur. Apparet id non tantum ex mandato contra Sacramentarios, anno clɔ lɔ XXXIV edito, sed etiam ex ordinatione Bremensium ecclesiastica, quae anno clɔ lɔ XXXIV, in forma quarti ordinis est euulgata. Quae in ea de sacra Coena docent, cum doctrina LVTHERI, in Augustana Confessione aliisque scriptis eius expositа, per omnia conueniunt. Quanquam enim SALIGIVS in libro suo infra a me citato eam contra Bremenses Theologos, qui HARDENBERGIO se opponebant, uerbis ex ea prolatis, adducit, hoc tamen tam absonum est, ut etiam hinc appareat peruersus Auctoris animus, & quam infelici successu a ueritate deflectentium causam defendendam susceperit. Integra quoque huius ordinationis uerba, quae de sacra Domini Coena agunt, recitantur in solida & uera Augustanae Confessionis historia, Magdeburgi anno clɔ lɔ LXXXIV. germanice edita (1) ex quibus liquido constat, eos non tantum praesentiam Corporis & sanguinis Christi in sacra Domini Coena adstruere & docere, quod etiam ore Corpus & sanguinem Christi manducemus atque bibamus, sed etiam exsertis uerbis affirmare omnipraesentiam humanae naturae Christi, ut quemadmodum Deus in Christo omnipraesens est, ita etiam Christus homo ob unionem duarum naturarum omnipraesens sit doceant. Haec duo momenta, si demonstrauero, palam erit, quinam a doctrina Bremae a tempore reformationis recepta, recesserint, Concionatores Bremenses, qui HARDENBERGIO se opponebant? an uero HARDENBERGIVS, qui ab aliis sacri ordinis Viris dissentiebat? & quinam pro turbarum in hac ciuitate exortarum, auctoribus habendi sint? Contradicit uero ordinatio Bremensis ecclesiastica Sacramentariis his uerbis: (2) Sacramentarii non faciunt, quod Christus iubet, dicens. Edite Corpus meum, bibite

(1) fol. 322 sqq.

(2) Verba ipsa ex germanico exemplo desumta ita se habent. Die Sacramentirer thun nicht was Christus befiehlet, da er sagt: Esset mein Leib, trincket mein Blut, sondern wollen nur: Esset mein Brodt, und trincket Wein = = Die Sacramentirer glauben nicht daß Christus sagt, das Brod ist mein Leib, der Trauck ist mein Blut. Papisten und Sacramentirer sind beyde ihrem HErrn Christo un-

bibite ſanguinem meum, ſed ita haec uerba reddunt : Edite panem meum & bibite uinum meum. Porro adſtruitur, Sacramentarios non credere Chriſto dicenti : Panis eſt Corpus meum, potus eſt ſanguis meus. Vtrosque, Papiſtas atque Sacramentarios, Chriſto aſſenſum denegare, & eodem laborare morbo. Sic uero unum diabolum iuuare alium, utrosque enim Sacramentum deprauare. Pontificios ſeduci uentre atque ambitione; Sacramentarios autem ratione, ſapientia atque cogitationibus humanis. (1) Quando in ſequentibus de manducatione & bibitione corporis & ſanguinis Chriſti ſpirituali actum erat, haec ſubiunguntur. Verum, praeter hanc ſpiritualem & inuiſibilem manducationem & potationem animi, quae ex praedicatione Euangelii exoritur, & ſine ullo cibo, quo ore fruimur, perficitur, qua ſoli Chriſtiani (uere ſcilicet tales) ſine intermiſſione in ſalutem utuntur, quam docuit Seruator Capernaumi in Galilaea, uno ad minimum ante mortem ſuam anno, in ultima Coena ſua, in ipſa, qua proditus eſt, nocte inſtituta, iuſſit diſcipulos ſuos, ut alio modo corpus ſuum ederent & ſanguinem ſuum biberent, ORE ſcilicet inuiſibiliter, in uiſibili Sacramento, id eſt, in pane & uino, ne exhorreſceremus, quando conuenientes expe-

gleubig und ungehorſam, und beyde mit einer Seuche beladen. Alſo hilfft ein Teufel den andern, und mögen wol beyde Sacrament-Schender heiſſen. Die Papiſten verführt venter & ambitio. Die Sacramentirer betreugt Frau Hulda, des Teufels Hure ihre eigene Vernunfft, Menſchen Klugheit und Gedancken etc. Sic uerba ordinationis eccleſ. Bremenſis recitantur in der Gründlichen Hiſtorie von der Augſpurgiſchen Confeſſion &c. fol. 322 b. fine & 323 a initio.

(1) En Verba Germanica ipſa : Aber über dis unſichtlich geiſtlich eſſen und trincken des Hertzens, das kommt aus den Predigten des Evangelii und geſchicht on einige Speiſe des Mundes, das allein die Chriſten brauchen on Unterlas zu ihrer Seligkeit, geleret zu Capernaum in Galilea, zum wenigſten ein Jahr für ſeinem Tode hat unſer HErr JEſus Chriſtus in ſeinem letzten Abendmahl zu Jeruſalem, in der Nacht da er verraten ward ſeinen Jüngern befohlen noch auf eine andere Weiſe ſeinen Leib zu eſſen und ſein Blut zu trincken mit dem Munde unſichtbarlich in einem ſichtbarlichen Sacrament, das iſt im Brodt und Wein, daß uns nicht ſollte grauen, ſo offt wir darum zuſammen kommen, daß die Vnchriſten Judas Geſellen auch mügen brauchen Luc. 22. aber zu ihrer Verdammniß 1 Cor. am 11 Cap. gleichwie die Chriſten zu ihrer Seligkeit. Und geſchicht diß Eſſen aus Chriſti Einſetzung v. l. c. fol. 314 b. ſqq.

experiremur impios Iudae socios etiam hoc Sacramento uti posse Luc. XXII. uerum in suam condemnationem 1 Cor. XI. quemadmodum Christiani in suam salutem. Haec igitur manducatio fit ex institutione Christi. Omnipraesentia uero humanae naturae Christi, in hac ipsa ordinatione sacrorum Bremensium his uerbis asseritur: Weil zwo Naturen sind in Christo, und die beyde Naturen sind also ein in einer Person Christi, daß sie nimmer können gescheiden werden. Darumb wo du GOtt in Christo findest, da findestu auch den Menschen in Christo. Er ist GOtt und Mensch, er sey wo er sey, mit welcher Weise er auch da sey. Haec qui legit, in animo suo conuictus erit, ecclesiam Bremensem olim ab erroribus Zwinglianis, quos CALVINVS postea propugnabat, abhorruisse. Quum enim sacramentarios, quo nomine ZWINGLII asseclae tum uebant, exsertis uerbis confutarent; quum illos, qui sacra Coena utuntur, Corpus & Sanguinem Christi ORE edere atque bibere adstruerent; quum inter spiritualem & sacramentalem manducationem & bibitionem eo, quemadmodum fecerunt, modo distinguerent; quum impios Iudae socios, etiam hoc epulo sacro sacramentaliter frui docerent, id est, quemadmodum loquuntur, ORE *inuisibiliter quidem, in uisibili tamen sacramento, id est in pane & uino, uerum in suam condemnationem*; quum denique propugnarent, Christum hominem ibi esse, ubi Christus Deus est, unione duarum, in Persona Christi, naturarum suffulti, nihil sane apertius docere poterant, quo dissensum suum a ZWINGLIANIS & Sacramentariis testarentur.

§. XXXVI.

Ab hac doctrina, Bremae recepta inter Doctores Bremensium primum discessit ALBERTVS HARDENBERGIVS, Pastor Cathedralis Bremensis, Vir ob singularem facundiam, & excellentes, quibus instructus erat, naturae dotes, auditoribus suis percharus. Audiamus, quae IOANNES VVIGANDVS de eo referat. *Erat* inquit, *apud Caronicos, Bremae in summo templo Concionator, Doctor* ALBERTVS HARTENBERGIVS, *Vir in lingua Saxonica facundus, qui pro Concione miris modis populum permouere atque inflammare poterat, ita ut, quando uoces approbatorias, quoties id libebat, in medio sermone postularet, tota ecclesia resonaret frequentia respondentium. Sic igitur sibi uulgo conciliato, ut maxima ciuium*

multitudo ad ipſius conciones accurreret, quum quidem circiter nouem annos ſuum Sacramentarium uirus, eo in loco, arte ſingulari, diſſimulaſſet & contexiſſet, incipit ipſis publica uoce dogmata Sacramentariorum pedetentim inſtillare. Quae quidem, quum rationi humanae eſſent conſentanea & plauſibilia, cunfeſtim arripiuntur, & odia aduerſus alios Paſtores ueram de Coena Domini doctrinam profitentes, ut fieri ſolet, conflantur. Haec VVIGANDVS. (1) In ſequentibus id ipſi uitio uertit, quod taxauerit LVTHERVM Helveticas eccleſias CINGLIVM ſequentes, inclementius damnantem; quod in publicis concionibus de localitate, ſitu, & menſura corporis Chriſti, craſſius locutus fuerit; quod Ethnicos, uirtute & rebus geſtis claros, inter ſanctos referendos eſſe aſſeruerit; quod IOANNI A LASCO apud ipſum diu commoranti, licet anteſignanus eſſet Sacramentariorum, in aede ſacra, cui Bremae praefectus erat, ſacro epulo publice frui permiſerit, qui quidem, erepto ex manu Miniſtri pane, ſibi ipſi eum in os ingeſſerit. Venerandus LOESCHERVS refert (2) HARDENBERGIVM ipſum confeſſum eſſe, ſe iuuenem Heluetiorum de ſacra Coena doctrinam imbibiſſe, & HOSPINIANO teſte, eum BVLLINGERI, Tiguri docentis, diſcipulum fuiſſe. In ſolida & uera Auguſtanae Confeſſionis hiſtoria refertur, (3) eum, antequam motus Bremenſes exorti eſſent, ad BVCERVM, in Anglia tum degentem, ſcripſiſſe: *ſe ſententiam ſuam ſic proferre, ut etiam illi minime offendantur, qui re uera diuerſum ſentiunt.* MELANCHTHONEM Wittenbergae etiam docentem audiuit, cuius tepiditas ipſi pergrata erat, a quo etiam adamatus eſt, quod ex litterarum, quod cum MELANCHTHONE habebat, commercio, ſatis apparet. (4) Hactenus autem plerique Bremenſes eius naturae atque ingenii dotes admirabantur, nihilque mali de HARDENBERGIO ſuſpicati ſunt. Verum, quum IOANNES TIMANNVS a patria AMSTERDAMVS dictus, Paſtor Bremenſis ad aedem Martinianam, anno cIↃ IↃ LV. *Farraginem ſuam ſententiarum conſentientium in doctrina de Coena Domini,*

contra

(1) *In Sacramentariismo* fol. 373. Eadem ipſi imput antur in der gründlichen und wahrhafften Hiſtorie von der Augſpurgiſchen Confeßion fol. 326 b. ſeq.

(2) in *hiſt. Mot.* P. II p. 135.

(3) fol. 326. b.

(4) V. LOESCHERVS l. c. p. 135.

contra Sacramentariorum dissidentes inter se opiniones euulgaret, (1) glisćens hactenus scintilla in flammam erupit. HARDENBERGIVS enim, quum dissensum suum a doctrina, in hoc libro propositâ, publice profiteretur, infelix certamen, Bremensi ecclesiae admodum funestum, hinc exortum est. (2)

§. XXXVII.

Caue uero existimes, TIMANNI librum meruisse, ut Theologus etiam, qui se hactenus Augustanae Confessionis socium professus erat, suum ab eo dissensum publice testaretur. Nihil enim hoc ipso eum perpetrasse, quod ulla reprehensione dignum fuit, aequos etiam inter aduersarios rerum aestimatores iudicaturos esse, si librum inspexerint, mihi est persuasum. Parum enim ex proprio scripserat ingenio. Id uero, quod scripserat, HARDENBERGIVM, si bonam habuisset conscientiam, non poterat offendere. Praeterea integer liber continebat sententias, uel ipsius LVTHERI, uel Theologorum LVTHERO addictorum, de *uerbo externo & Sacramentis; de auctoritate sacrae scripturae; de eo quod Christi corpus ubique sit, de substantia Sacramenti & de officio Magistratus* agentes, quibus insuper inseruntur acta Colloquii Marpurgensis, anno cIↃ IↃ XXIX. habiti, & iudicia de doctrina Sacramentaria. Theologi, ex quorum scriptis has sententias collegerat, erant, MARTINVS LVTHERVS, IOANNES BRENTIVS, PHILIPPVS MELANCHTHON, IOANNES BVGENHAGIVS, NICOLAVS AMSDORFIVS, CASPARVS CRVCIGER, IOANNES AEPINVS, IOACHIMVS VVESTPHALVS, alii. Quis uero sincerus doctrinae Diui LVTHERI opera repurgatae cultor id in TIMANNO reprehendere poterat, quod consensum Doctorum Lutheranorum, in praecipuis doctrinae nostrae

(1) Integra libri inscriptio haec est: *Farrago sententiarum consentientium in uera & Catholica doctrina de Coena Domini, quam firma assensione & uno Spiritu iuxta Diuinam uocem ecclesiae Augustanae Confessionis amplexae sunt, sonant & profitentur ex Apostolicis scriptis, praeterea ex Orthodoxorum tam ueterum, quam recentiorum contra Sacramentariorum dissidentes inter se opiniones diligenter & bona fide collecta per* IOANNEM TIMANNVM, Amsterdamum Francof. apud PETRVM BRVBACHIVM anno cIↃ IↃ LV. in 8.

(2) Conf. LOESCHERVS l. c. p. 137.

ſtrae ueritatibus, quas Sacramentarii quam maxime impugnabant, oſtenderet? Quomodo HARDENBERGIVS Bremenſium Doctor his irritari potuiſſet ſi doctrinae Bremae receptae ingenue addictus fuiſſet, & niſi Sacramentariorum erroribus reiectis, etiam ſe iugulatum ſuamque doctrinam reiectam eſſe, ex propriae conſcientiae conuictione exiſtimaſſet? Nihilominus HARDENBERGIVS contra hunc librum inſurgebat, & talia de Sacra Coena proponebat, quae Auguſtanae Confeſſioni, ſcriptisque LVTHERI non erant conſentanea. (1) In primis uero diſſenſum ſuum profitebatur ab aliis Theologis Lutheranis, omnipraeſentiam humanae naturae atque Corporis Chriſti, ob unionem duarum naturarum in Perſona Chriſti ſtatuentibus. Hanc enim doctrinam odioſo *Vbiquitatis* nomine diffamabat: Scribehat ſcilicet *poſitiones aduerſus Vbiquitatem, quam uocant Corporis Chriſti, in farragine* IOANNIS AMSTERDAMI *plus* XXXVIII. *locis repetitam.* (2) Alii e contra Theologi Bremenſes, HARDENBERGIVM quod Sacramentariorum tibias inflaret non immerito accuſabant. Scindebatur igitur in partes ciuitas. Erant ſcilicet Bremae, qui a partibus HARDENBERGII ſtabant, maxima uero Senatus atque Ciuium multitudo reliquo ordini ſacro adhaerebat. Senatus ſui officii eſſe perpendens, omnibus uiribus eniti, ut huic malo medeatur, ab ordine ſacro in ciuitate ſua requirebat, ut Confeſſionem ſuam de ſacra Coena ederet, qui quoque Magiſtratus mandato morem gerebat. (3) Hanc confeſſionem Concionatorum Bremenſium a Magiſtratu HARDENBERGIO traditam ipſe improbabat; ſuam uero de ſacra Coena ſententiam, a Magiſtratu licet rogatus,

(1) Vid. Senatus Bremenſis ad Theologos Wittebergenſes epiſtola in *ſolida & uera Aug. Conf. hiſtoria* fol. 318.

(2) Conf. SALIGIVS in der vollſtändigen Hiſtorie der Augſpurg. Conf. P. III. L. X. Cap. V. §. 4. p. 724. nota (e)

(3) Lege, ſi placet, hanc Confeſſionem in SLEIDANO continuato p. 60. ſq. Miſit eam IOANNES TIMANNVS EITZENIO atque VVESTPHALO, additis litteris, in quibus eam adductis rationibus munit, eorumque ſententiam ſibi expetit. Datae illae ſunt Bremae menſe Septembri anno CIↃ IↃ LVI. & dignae quae legantur. Eas igitur ex exemplo authentico deſcriptas inſeri curaui Additamentis Num. XVIII.

gatus, perſpicue declarare noluit. (1) Omnia interim tentabat ſenatus, ut haec certamina placide componerentur. Conuocabat igitur circa finem anni cIↃ IↃ LVI. Bremam IOACHIMVM MORLINVM Superintendentem Brunſuicenſem PAVLVM AB EITZEN Superintendentem Hamburgenſem & CONRADVM BECKERVM Theologum Stadenſem, ut cum HARDENBERGIO amice colloquerentur. Verum HARDENBERGIVS renuebat cum illis colloquii, obtendens, ſe non eſſe Magiſtratus ſed Capituli Concionatorem. (2)

§. XXXVIII.

Haec dum aguntur, fama horum certaminum Bremenſium ad exteros peruenit. Potentiſſimus enim Daniae Rex CHRISTIANVS III. iuſto dolore motus, ſe huic negotio immiſcebat. Scribebat ſcilicet ad Senatum Bremenſem, quem ab omnibus Sacramentariorum erroribus dehortabatur, & ut ueritati ſtrenue inſiſteret nec doctrinam in ciuitate ſua aliquid uitii contrahere ſineret eſt obteſtatus. Litteras Regias exhibet Celeberrimus olim in Cimbria Theologus D. HENRICVS MVHLIVS (3) Datae erant Hafniae, die XIII. Aprilis, anno cIↃ IↃ LVII, Ad has Senatus, eodem anno & menſe, die uidelicet XXVIII. eiusdem menſis, reſpondit. Has litteras, quum nondum impreſſas eſſe ſciam, ex tabulario ordinis ſacri Hamburgenſis deſcriptas, in additamentis excudendas dabo (4) Recenſet in his Senatus Bremenſis, quae hactenus hoc in negotio geſta ſunt. Refert ſe arbitratum ſemper eſſe, HARDENBERGIVM in omnibus doctrinae Chriſtianae capitibus ſecum conſentire. Annum uero propemodum elapſum eſſe, quum proprio conatu, Senatu inſcio neque id probante, doctrinam de praeſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in ſacra Coena aliter propoſuiſſet, quam in

(2) Conf. *litteras Senatus Bremenſis ad Theologos Vuittebergenſes* in der gründl. und wahrhafftigen Hiſtorie von der Augſpurgiſchen Confeſſion &c. fol. 328. a, b.

(3) V. SLEIDANVM *continuatum* p. 61.

(4) in *Commentatione de reformatione religionis in Cimbria* p. 156. ſqq.

(1) Conf, additamenta Num. XIX.

sacris litteris ea traditur, & ab aliis Concionatoribus suis docetur. Conqueritur eum subdole sententiam suam occultasse, & iisdem fere uerbis usum esse, quibus alii Concionatores Bremenses in proponendo hoc mysterio utuntur. Se igitur, ut certus fieret, quid statuendum aut agendum sit, flagitasse, ut Theologi sui confessionem perspicuam ederent. Hanc quidem HARDENBERGIO displicuisse, noluisse tamen scriptis litteris exponere, quid in ea desideraret. Tradidisse uero non sibi Senatui Bremensi, sed Capitulo scriptum satis spissum, ex commentariis VVOLFGANGI MVSCVLI in Caput XXVI. Matthaei excerptum, cum Senatu uero super hac re agere noluisse & rationem obtentui sumsisse; quod neque a Senatu alatur, neque ab eo uocatus sit, subiecisse se e contra soli Capitulo. Exponit porro Senatus, quod quosdam ordinis sui Viros ad ecclesias Saxonicas finitimas miserit, sententiam & consilium harum Theologorum sibi expetituros, qui Confessionem Concionatorum Bremensium Christianae doctrinae consentaneam esse agnouerint eique subscripserint. Misisse etiam ex ordine suo deputatos ad Theologos Vuittenbergenses. In quorum responsione se quidem pro simplicitate sua nihil deprehendisse, quod animaduersione dignum esset, quum ad Augustanam Confessionem prouocauerint, & sole meridiano clarius sit, quid Augustanae Confessionis socii de sacra Domini Coena doceant. Se enim de forma uerborum non pugnare, dummodo in doctrina ipsa uerus consensus adsit. Addit Senatus: Se quoque peregrinas disputationes in doctrinam de sacra Coena immiscere nolle, neque Concionatorum suorum mentem esse, extra uerum usum sacrae Coenae a Christo institutae, ad nouum quendam ritum introducendum ea uti. (1) HARDENBERGIVM pro defendenda sua sententia Vuittebergensium responsionem interpretatum esse. Refert porro Senatus, se responsionem Vuittenbergensium Ciuibus suis praelegi curasse, qui, deliberatione instituta, publice professi sint, se uerbo Dei, Augustanae Confessioni eiusque apologiae ad ultimum uitae

(1) Senatus Bremensis litteras ad Theologos Vuitteb. lege in der gründlichen und wahrhafftigen Historie von der Augspurgischen Confession fol. 322. b. sq. Vuittebergensium responsionem exhibet VVIGANDVS *in Sacramentariismo* fol. 375.

uitae halitum inhaesuros esse, simul uero rogasse, ut HARDENBERGIVS, siquidem hanc Vuittenbergensium responsionem probaret, quemadmodum sperarent, in ciuitate atque officio suo permaneret. Se igitur cum HARDENBERGIO per insignes quosdam ex Capitulo Viros denuo egisse & interrogasse eum. Velletne Augustanae Confessioni eiusque Apologiae sine exceptione subscribere, & secum in doctrina de sacra Coena consentire? Ad quam quaestionem eum tribus distinctis uicibus nimis prolixe, minus uero distincte respondisse, ita tamen, ut hanc sententiae eius summam esse Senatus perceperit. Si Augustana Confessio eiusque apologia ita intelligeretur, quemadmodum MELANCHTHON, qui eam adornasset, eam interpretaretur eam sibi non aduersari, neque Augustanae Confessioni ita intellectae contrarium se quidquam docere uelle. Nolle se autem ullo alio libro quam sacris bibliis obligari. Hanc uero responsionem sibi (Senatui nempe) uarias ob causas displicuisse. In sequentibus refert, quod Capitulum Bremense sibi suaserit, ut de conuentu Theologorum instituendo cogitaret, in quo HARDENBERGIVS doctrinae suae rationem redderet, & certamen placide componeretur. Rogat denique Regem, ut istiusmodi conuentum doctrina excellentium Theologorum, sua auctoritate admaturare uelit.

§. XXXIX.

Non nudi horum certaminum spectatores erant Viri, quibus regimen trium Ciuitatum Lubecensis Hamburgensis & Luneburgensis demandatum erat. Incumbebant potius omni studio & uigilantia, ut hoc incendium, Bremae flagrans, exstingueretur, ne neglectum uires sumeret suisque ciuitatibus exitiosum foret, probe scilicet perpendentes effatum illud uerissimum:

Tunc tua res agitur paries quum proximus ardet.

Deliberabat enim trium harum ciuitatum Senatus, quid rebus Bremae sic stantibus, faciendum, & quomodo malo obuiam eundum sit. Scribebat igitur Magistratus Hamburgensis ad Luneburgensem, suamque sententiam exponebat, quemadmodum ex additamento mox citando apparet. Hamburgensis Senatus quoque a sacro ordine, in ciuitate sua consilium requirebat, ut quid ipsi uideatur hac in re exponeret.

Asser-

Asseruatur illud Consilium in Actis ordinis nostri, quod senatui anno cIↃ IↃ LVII. hebdomade Dominicam oculi dictam insecuta, est exhibitum. In hoc sacer ordo Hamburgensis rationes ex sua sententia ineundas exponit, ad componenda certamina Bremensia opportunas. Quarum prima est: Vt summi Imperantes Augustanae Confessioni addicti implorentur, ut non tantum per litteras, sed etiam legatione facta, adhibitis etiam trium harum ciuitatum Theologis, huius certaminis compositionem tentarent, & scripta HARDENBERGII, CALVINI, A LASCO, ORSINI aliorumque Sacramentariorum ad manus haberent. *Secunda*: Vt fundamentum compositionis firmum atque indubium statuatur. Minus igitur sibi consultum uideri, si uel Concionatorum de sacra Domini Coena Confessio, uel ea, quae de *Vbiquitate* a quibusdam disputantur, fundamenti loco ponantur. Optimum fore si integra de sacra Coena doctrina, in Augustana Confessione eiusque apologia, articulis Smalcaldicis, Catechismis aliisque scriptis LVTHERI exposita, pro norma decidendarum harum controuersiarum assumeretur. Et quum notum sit, HARDENBERGIVM Augustanam Confessionem, in doctrina de sacra Coena ita intellectam, quemadmodum LVTHERVS aliique Theologi Lutherani eam intelligunt, repudiare, eam uero ita interpretari, ut erroribus suis non sit contraria, rogandos esse summos Imperantes, ut Theologos suos doctrina praestantes, praesertim uero illos, qui deliberationibus, quum Augustana Confessio eiusque Apologia Imperatori exhibenda esset, & quum articuli Smalcaldici conscribendi essent, interfuerunt, PHILIPPVM nempe BRENTIVM, SNEPFIVM, AMSDORFIVM, PISTORIVM alios, interrogari curarent, ut quid sibi uideatur dicerent: Vtrum doctrina LVTHERI de sacra Coena, an uero ZVVINGLIANORVM, CALVINI, a LASCO, HARDENBERGII, Augustanae Confessioni eiusque apologiae, Cathechismis LVTHERI, atque Articulis Smalcaldicis consentanea sit. Simplicem uero declarationem sufficere, neque ulli disputationi aut exceptioni, in solenni Theologorum colloquio, in quo haec ad liquidum perducenda sint locum esse dandum, ne certissimam nostram in Augustana Confessione expositam doctrinam in dubium uocare uideamur. Necessarium quoque esse existimant Theologi Hamburgenses, ut ad Senatum Bremensem, humanis-

sima

ſima adhortatio, ad Capitulum uero ſeuerius ſcriptum mittatur. Omitto alia, quae in Conſilio ipſo Additamentis inſerto legi poſſunt (1) Datum eſt hoc Conſilium a Superintendente atque Paſtoribus eccleſiae Hamburgenſis. Cuius Auctorem EITZENIVM eſſe ex recepta in ordine noſtro conſuetudine iudico. Scripſit quoque Senatus noſter ad Luneburgenſem, anno cIↃ IↃ LVII. feria II. Paſchatis, cui ſignificat ſe Superintendenti ſuo EITZENIO nec non M. IOACHIMO VVESTPHALO commiſſiſſe, ut fuſius coram enarrarent, quae in Bremenſium negotio opportuna eſſe iudicaret. Hoc uero peracto illos ex mandato ſuo Lubecam profecturos, ibidemque ulterius deliberaturos eſſe. Rogat tandem Senatum Luneburgenſem, ut ſua officia ad componenda certamina in urbe Bremenſi conferat. (2) Nec minus mentio iniicienda eſt litterarum, a Senatu trium ciuitatum Lubecenſis, Hamburgenſis, & Luneburgenſis ad Capitulum Bremenſe exaratarum, in quibus de HARDENBERGIO peruerſa docente conquerentes, periculum ſimul exponunt inde pertimeſcendum, & ad cogitandum ipſi proponunt leges imperii contra iſtiusmodi Viros noua atque peruerſa docentes ſancitas, rogantque ut ad reſtituendam pacem atque concordiam in doctrina & uita operam ſuam impendat. Optimum ex ſua ſententia fore ſcribunt, ſi HARDENBERGIO ſilentium imponatur, ut a concionando & docendo ea, quae ipſum inter atque Concionatores Bremenſes controuerſa erant, abſtineret, donec placida atque pia ratione res compoſita eſſet ſicque omnis imminens pernicies atque tempeſtas euitaretur. (3) Scripſerunt tandem & trium harum ciuitatum Magiſtratus ad Potentiſſimum Daniae Regem, ad Electorem Saxoniae, Ducem Megapolitanum & Vuurtenbergicum. In litteris ad Daniae Regem datis, quarum apographum ex actis ordinis noſtri excudendum dabo, (4) narrant quae Bremae in cauſa HARDENBERGII geſta ſint, rogantque Regem optimum, ut communicato cum principibus antea memo-

(1) Conf. Additamenta Num. XX.
(2) Lege integras litteras in additam. Num. XXI.
(3) v. *Additamenta* Num. XXII.
(4) in *additamentis* Num. XXIII.

memoratis, quibus IOANNEM FRIDERICVM Saxoniae Ducem adiungunt, consilio, suam simul promittentes operam, uel communi nomine ad Capitulum Bremense scribi, uel ut a singulis id seperatim fiat, curet, uel si opportunius id uisum fuerit, per Legatos dictum Capitulum admoneatur, ut quod sui officii iuxta imperii Romani constitutionem & leges sit, observet. In quibus istiusmodi Fanaticos errorumque Architectos uel in regionibus aut ciuitatibus tolerare, & cum iis disputare interdictum sit. Hinc admonendum esse capitulum, ut HARDENBERGIVM ab erroribus suis defendendis atque retinendis dehortetur. Quod si facere recuset, ut eum ab officio suo remoueat & ex urbe proscribat. Et hae quoque litterae anno cIↃ IↃ LVII. ad Regem scriptae sunt.

§. XL.

Fecit recte sentiens Senatus Bremensis, quod ab illo requiri poterat. In primis ab anno cIↃ IↃ LX. de intestina pace restituenda quam maxime fuit sollicitus. Mittebantur scilicet, Senatu id rogante, Bremam denuo IOACHIMVS MORLINVS, PAVLVS AB EITZEN, & CONRADVS BECKER. De MORLINO id refert REHTMEYERVS (1) De duobus aliis & MORLINO id testatur TILEMANNVS HESHVSIVS scribens (2) *Hesterno die aduenerunt fere sub eadem hora Doctor* IOACHIMVS MORLINVS, *Doct.* PAVLVS AB EITZEN *& Doct.* CONRADVS BECKER. *Faciat Filius Dei ut ipsorum aduentus sit felix & res salutares ecclesiae agamus.* Ideo uero Bremam missi sunt hi Theologi, ut cum HARDENBERGIO colloquerentur, & lites exortas placide componerent. Maxima quidem huic colloquio obiecta sunt impedimenta. De quibus HESHVSIVS ita ad CHYTRAEVM scribit: (3) *Epistola illustrissimi Principis* VLRICI *& me & Senatum ualde confirmauit, & animos nostros uariis calumniis & insidiis aduersariorum aliquo modo turbatos plurimum erexit. Episcopus Bremensis, Princeps, & ordines huius dioecesis, instinctu Canonicorum &* ALBERTI *uehementer laborarunt apud Senatum, ut consilium de Colloquio mutaretur, & controuersiae diiudicatio academiis mitteretur. Nunc precibus nunc minis est actum. Missa est*

(1) In *Hist. eccles. Brunsu.* P. III. p. 239.
(2) In epist. ad DAV. CHYSRAEVM apud SEELENIVM in *Philce. epist.* p. 69.
(3) V. SEELENIVS l. c. p. 67. sq.

eſt etiam legatio ex Phriſia ad impediendum Colloquium. In eandem ſententiam ſcripſit Comes ANTONIVS *oldenburgicus. Hic ſudandum mihi fuit, ut Senatus in ſententia ſemel decreta perſiſteret. Ac peropportune allatae ſunt litterae Illuſtr. Principis, quas mox exhibui, quae oſtendunt conſilium & uoluntatem noſtram de collatione ſententiarum cum* ALBERTO *bonis & ſapientibus Principibus probari, & expeti a multis anxiis conſcientiis controuerſiae de Coena Domini perſpicuam diiudicationem. Hoc itaque teſtimonio recreati ſumus, & profanis iudiciis neglectis progredi decreuimus.* Haec ille. Tam ex hac epiſtola, quam etiam ex libro quodam manu exarato, neque quantum mihi innotuit, unquam edito, in quo motus Bremenſes recenſentur, apparet, HESHVSIVM tribus Theologis antea a me nominatis, & ad Colloquium cum HARDENBERGIO ineundum Bremam miſſis adiungendum eſſe. Auctorem libri huius manu exarati eſſe ferunt Secretarium Bremenſem SIMONEM BOCK vel BVCK. In LOESCHERI hiſtoria motuum appellatur (1) SIMON BRÜCK. Referam ex eo, quae tunc in cauſa HARDENBERGII Bremae acta ſunt. Conueniebant nempe hi ipſi Doctores a Magiſtratu Bremenſi rogati in curia, die XX. Maii, & quanquam HARDENBERGIVS iteratis uicibus ad Colloquium inuitabatur, renuebat tamen ad illos ſe conferre, praetexens ab Archiepiſcopo & Capitulo Bremenſi id ſibi interdictum eſſe. Dum interea Theologi HARDENBERGIVM exſpectabant DANIEL A BÜREN Conſul Bremenſis, & partibus HARDENBERGII addictus a nemine inuitatus atque rogatus ſed ſponte & ex proprio conſilio in diſputationem cum Theologis, qui aderant, ſe immiſit, aſſerens: In ſacra Domini Coena Conuiuas ore praeter panem & uinum nihil accipere, fidem uero accipere corpus & ſanguinem Ieſu Chriſti. Quam ſententiam ex diui LVTHERI ſcriptis ſe defenſurum eſſe in ſe recepit. Properabat igitur domum, & mox rediens aliquos minoris formae libros ſecum afferebat, praelegebat quoque quaedam pro defendenda ſententia ſua ex Cathechiſmo LVTHERI. Verum EITZENIVS inprimis ad haec reſpondens, ea, quae protulerat BÜRENIVS Conſul, ex integra dictorum ſerie ita interpraetabatur, ut BÜRENIVS intelligeret, ſe famae & exiſtimationi ſuae melius conſuluiſſe ſi ab hac diſputatione abſtinuiſſet. Quum uero haec quae ex LVTHE-

(1) In hiſt. Mot. P. II. p. 205.

RI ſcriptis attulerat BVRENIVS ipſi ex uoto non ſucceſſiſſent, alio contra Theologos inſurgebat argumento, a localitate ſcilicet Corporis Chriſti phyſica & adſcenſione eius in Coelum deſumto. Adſtruebat nempe magna perſuaſione & confidentia: Quoniam Chriſtus phyſicum haberet corpus noſtris corporibus per omnia ſimile absque peccato, id ipſum non poſſe eodem tempore niſi in uno loco eſſe. (1) Ad quae

(1) Quum hoc argumentum illud caput Meduſae ſit, quo noſtros Theologos, praeſentiam Corporis Chriſti in Coena ubicunque diſpenſatur adſtruentes, terrere & confundere conantur Caluiniani, non abs re erit adducere, quae noſtrates ad illud reſpondent. Dabo hanc reſponſionem VVIGANDI uerbis in ſuo de *Sacramentariismo* libro ita ſcribentis, p. 282. b. ſq. *Poteſtne aeternus Deus etiam plura quam ratio humana capiat? Eſtne Deus omnipotens & liberrimus, ad Creaturarum communem rationem ita alligatus atque adſtrictus, ut non poſsit aliquid ultra & contra communem naturae curſum pro ſuo iudicio exactiſsimo agere? Equidem ſol in Coelo a Deo ſic eſt ordinatus, ut ſuum perficiat certum ambitum. Ergo non debet ſcilicet nec poterit Deus ſiſtere ſolis tam celerem curſum nec poterit illum per aliquot gradus retrahere. Sed hiſtoriae diuerſum clamitant.* Ioſ. X. *Aqua naturam accepit eiusmodi ut ſuo non contineatur termino ſed alieno. Vnde igitur illa in mari undarum ſciſſio atque diuiſio & ex utraque parte tam ſublimis conſiſtentia atque duratio ut ad aliquot dies neluti muri adamantini utrinque eleuatae aquae durarent, donec populus Dei pedibus ſiccis in imo fundo tranſiret?* Exodi XIV. *Cur ignis contra ſuam naturam a Deo ordinatam non comburit in fornace flammis plena ſocios Danielis?* Dan. III. Poſt alia ita pergit: *Atqui quod ad Corpus Chriſti attinet multis in partibus Deus pro ſuo liberrimo & omnipotenti arbitrio, ſupra & contra communem reliquorum Corporum rationem cum eo egit, & innumeris praerogatiuis illud nobilitauit. Nam praeter rerum ſeriem hoc corpus non ex ſemine Viri conceptum, & ex ſola atque intemerata uirgine natum eſt, praeter & contra articulum creationis, ubi homo tantum ex homine naſcitur. Corpus hoc humanum Chriſti in unionem Perſonae immenſae & infinitae Filii Dei aſſumtum eſt & MARIA eſt & recte celebratur Deipara. Non enim hominem duntaxat enixa eſt, ſed Filium Dei, qui factus eſt homo. Neque eſt quod hic nocifereris. Hoc eſſe impoſsibile, quia ſit contra articulum creationis, nec ullum ſimile exemplum in toto mundo exſtare, quia Deus omnipotens hoc facit. Hoc Corpus humanum in Chriſto euectum eſt ad dextram Dei, & omnis poteſtas ipſi tradita eſt in Coelo & in terra. Quomodo uero iſta cum articulo creationis conuexiunt? Hoc unicum Corpus a Filio Deo aſſumtum moritur pro peccatis totius mundi, quod certe nulli alii Corpori inter homines adſcribi poteſt.*

quae Doctores regerebant. Se quidem fateri Christum retinere semper humanam naturam & proprietates etiam essentiales utriusque naturae, uerum, *esse in loco accidens esse*, quod Filius Dei pro sua omnipotentia mutare possit, quemadmodum edere, bibere, lassum fieri, dormire flere. DANIEL BVRENIVS uero ex AVGVSTINO probatus. *Tò esse in loco* substantialem proprietatem Corporis non accidentalem esse, allegabat uerba huius Doctoris: *Tolle spacia locorum corporibus & nusquam sunt.* (1) Quod assertum Theologi ita infringebant: Quo-

 niam

potest, ac rationi impossibile uidetur. Hoc corpus una adoratione cum Filio Dei quia in unionem Personae assumtum est, colitur & adoratur & iudicabit mundum. Sed omnia quae hoc Corpus in Christo accepit hoc loco enumerari nequeunt. Ergo Christi Corpus non est mere physicum ut tuum & meum est, sed est Corpus in Persona Filii Dei, quod licet Corpus sit nostro simile, tamen illas illustres, quas dixi, habet praerogatiuas & dignitates. Hinc etiam consequitur, ut ubicunque uelit Christus isto suo Corpore esse possit, quia uidelicet in unionem Personae Filii Dei assumtum est, id quod unum est principium immotum: Deinde, quod ista personalis unio sit perpetua, indissolubilis, immutabilis? Tertio quod omnia, quae uult ista Persona ea potest suo corpore facere. Quarto quod omnia, quaecunque uerbo suo reuelauit & tradidit pro sua omnipotentia facillime ac liberrime potest praestare, supra, ultra & contra omnium hominum & Angelorum intellectum. Haec VVIGANDVS.

(1) Huic quoque Caluinianorum obiectioni a Theologis nostris dudum est satisfactum. Audiamus id uerbis VVIGANDI scribentis: *Quod ad locum* AVGVSTINI, *regulam ille physicam repetit de Corporibus mere physicis in hoc mundo. Deinde autem & Christo uerum attribuit Corpus, quod sane physico modo, quoties uult esse potest in loco. Sed quia Filius Dei in suam immensam Personam, quae non est locus, suscepit naturam humanam, & quidem in unionem Personae ita ut non sint duae in Christo Personae, sicut duae sunt in ipso naturae diuersae atque distinctae, ideo Corpus hoc in Christo plurimas habet praerogatiuas, quas alia humana Corpora prorsus physica non habent. Iam enim dictum est, naturam humanam in Personae Dei, cui unita est, existere, & tamen ibi in loco non esse. Non potest igitur illa* AVGVSTINI *regula ibi locum habere. Sic natura humana in Christo euecta est, & tamen ibi reuera est in Filio Dei. Vbi hic manet regula physica? Item natura humana in Christo euecta est ad dextram Dei, ad Maiestatem & uirtutem Dei. Sed Maiestas & uirtus Dei non est locus, & tamen ibi reuera est, sedet & regnat natura in Christo humana non quidem sola, sed in, cum, & per Diuinam Filii Dei naturam, cui personaliter*

unita

niam de Christo secundum humanam naturam considerato scriptum sit: *Ascendit supra omnes coelos & sedet ad dextram Dei:* Nec non: *Mihi data est omnis potestas in Coelo & in terra*, illicitum esse, siquidem non de Corpore Christi glorioſius, quam de nostris corporibus loqui uelimus. MORLINVS uero Consulem BVRENIVM ita alloquebatur: Domine Consul, coram Deo & hoc coetu tibi dico, quod Sacramentarius sis & crassior ZWINGLIANVS: Quod ipsum ubicunque uenero, coram omnibus cuiuscunque status & conditionis fuerint testabor (1) His BVRENIVS exacerbatus duriora quaedam MORLINO sed omni fundamento destituta imputabat. Sic uero inter rixas indignabundi ex curia discesserunt. Postero die Theologi denuo se in curiam recipiebant, & HARDENBERGIVM peremtorie, ut Iurisconsulti loqui solent, ad se inuitabant. Verum is, iisdem rationibus, quibus priorem conuentum declinauerat, & huic se sistere renuebat. Die uno & altero elapso Theologi denuo ad HARDENBERGIVM miserunt, et quam humanissime eum rogauerunt, ut se inuiseret & tanquam priuatus cum priuatis, familiare quoddam colloquium ex quo nullum ipsi pertimescendum esset periculum secum instituere non dedignaretur. Verum persistebat HARDENBERGIVS in sua pertinacia (2) Cui tribuendum est,

unita est. Non igitur haec regula Theologi ex Physica desumta, uniuersalis est. Habet quidem suum respectum in hoc mundo in Corporibus mere physicis, & potest Christus, quando sibi lubet esse quoque in loco, sed propter unionem hypostaticam naturae humanae in Persona Fili. Dei & propter gloriam atque exaltationem, quae nullum aliud corpus humanum simili prorsus modo consequetur, sublimiores praerogatiuas Corpus humanum in Christo accepit, quam omnia alia mundana Corpora, Cetera. V. Sacramentariismus fol. 286. seq.

(1) Idem refert REHTMEYERVS in hist. eccles Brunsuic. P. III. p. 239.

(2) Non sane sine intimo doloris sensu recenseo, MELANCHTHONI, Viro magnis ceteroquin in ecclesiam nostram meritis inclyto, causam pertinaciae huius in HARDENBERGIO, omnem sententiarum collationem in hoc argumento detrectante, deprehensae, adscribendam esse. Appa ret id ex eius ad hunc Sacramentarium Bremensem scriptis litteris Bremae CIↃ IↃ LXXXIX. in 8. opera & studio CHRISTOPHORI PEZELII editis. Is enim HARDENBERGIVM non tantum in sententia sua confirmabat, sed etiam consiliorum suorum, & ut omne cum Viris LVTHERI

est, quod nihil salutare & quod ecclesiae Bremensi proficuum esset a Theo-

THERI sententiae, in doctrina de Sacra Coena, addictis, colloquium euitaret ipsi Auctor fuit. Quum Rex Daniae Bremenses ad puritatem doctrinae conseruandam & ut ab HARDENBERGIO sibi cauerent adhortaretur, MELANCHTHON Viri huius animum his uerbis confirmabat: *Crescit ut uides non modo certamen sed etiam rabies in scriptoribus, qui ἀεζολατρείαν stabiliunt. Itaque confugiamus ad* F. D. *Dominum nostrum Iesum Christum, & petamus ut ipse sit βραβευτὴς huius certaminis. Incitantur aulae & gynaecea. Quare de litteris ad Regem scribendis hoc consulo, ut reuerenter scribas, te orare ne Rex credat calumniis, sed tibi alteram aurem seruet, ac petas, quum tanta sit ipsius auctoritas, ut piam synodum indici curet, in qua & explicetur tanta controuersia & non tantum inimici tui audiantur sed etiam alii docti Viri. Aut si ad Vuormatiense colloquium aliqui conuenturi sint multorum Principum legati, seu delecti ad Colloquium, mittat Rex suos aliquos. Talem generalem responsionem primum mittas. Interea & confessionem tuam componas & expresse dicas, quousque progrediaris, quas propositiones retineas, quas non retineas, & sine rixis adde aliquot illustria testimonia antiquitatis sincerae. Haec παρασκευὴ necessaria est, si res ad disputationem deduceretur. Interea autem uelim te in Concionibus, non saepe ad hanc quaestionem digredi.* Data est haec epistola die IX. Mai anno CIↃ IↃ LVII. In aliis ad eum litteris scribebat: *Te oro ne properes ad certamen. Oro etiam ut multa* DISSIMVLES C. 2. Alibi haec occurrunt. *Nequaquam uelim te in Concionibus pugnare. Sed si ceteri sugillant, potius discedendum censeo quam cum indoctis & rabiosis rixandum. Quod existimas tuos inimicos me sibi adiuncturos esse longe falleris.* Doctrinam de Sacra Coena, quam Bremenses Concionatores & Theologi Saxonici, qui se HARDENBERGIO oppositerunt, defendebant in his epistolis semper fere τῆς ἀεζολατρείας uoce falso ipsi imposita traducit. Vocat eam *Papisticum dogma, & nouum, quod in ecclesiam nostram non sit inuehendum, neque nouam adorationem instituendam esse.* Alio tempore scribit: *Maneo in hac sententia, ut non instituas publicam disputationem, nisi prius dentur iudices ex ecclesiis, quas nominare utrique poteritis. Deinde initium facias a ueteris ecclesiae testimoniis .. Totos iam uiginti annos expecto exilia propterea quod ostendi me ἀεζολατρείαν non probare.* die XII Ianuarii anno CIↃ IↃ LX. G. p. uersa. Alio loco: *Etsi non existimo Senatum permissurum esse ut theatrica disputatio instituatur, tamen quidquid erit uelim te in promtu habere antiquitatis eruditioris illustria testimonia, & inprimis hoc urgere: Quum nouum sit Pontificium dogma, pugnans cum puriore antiquitate cogitandum esse quid sentiendum sit.* die XXVIII. Februarii anno CIↃ IↃ LX. Et eodem anno pridie Kal. Martii scribebat ad HARDENBERGIVM:

Scri-

Theologis effici potuit. Discesserunt igitur Brema postquam singulis a Senatu Bremensi tringinta imperiales donati erant. (1)

§. XLI.

Venerandus LOESCHERVS, qui magno studio motus Bremenses recensuit mentionem etiam iniicit (2) eorum, quae ordinum Circuli Saxonici Legati anno cIↃ IↃ LX. die IV. Augusti decreuerunt. Exponit quoque, quaenam Senatus Bremensis & HARDENBERGII circa hoc decretum fuerit sententia. Quam quum utrique scriptis consignarunt ea ex actis ordinis nostri in additamentis publicae luci exponam (3) Habebatur alius anno cIↃ IↃ LX. a Statibus Circuli Saxonici Conuentus Halberstadii, in quo decernebatur Synodus anno insequente cIↃ IↃ LXI. die III. Februarii Brunsuigae ab iisdem Statibus frequentanda, in qua res Bremenses sub examen uocandae & utraque pars cui iniungebatur, ut Confessionem suam de capitibus doctrinae, in quibus a se inuicem dissentirent, adornaret, audienda esset. (4) De scripsi ex Actis ordinis nostri consilium, ab EITZENIO elaboratum, in

---

Scribam DAV. CHYTRAEO *ne instituant disputationem theatricam quae non paruos motus excitatura est, si procedat. Tibi etiam hortator sum, ut si te in certamen uocabunt postules tibi quoque concedi, ut accersas* PETRVM MARTYREM, me, *& alios quosdam amicos. Noui geneſin* MORLINI *& saepe ei praedixi eum moturum, quae sedare non poterit. Si Senatus Bremensis & collegium uestrum permittent instituí theatricam disputationem, multi sapientes iudicabunt, uos imprudenter facere. Et hanc meam epistolam potes Viris cordatis in Collegio uestro ostendere.* Haec, quae hactenus adduxi, ex MELANCHTHONIS ad HARDENBERGIVM epistolis depromta sunt. Idem quoque PHILIPPVS, BVRENIO Consuli Bremensi HARDENBERGII causam atque sententiam commendasse censendus est. Quis enim dubitaret eum BVRENIO talia suasisse, quae non poterant non HARDENBERGIO fauere. Conf. BVRENII ad MELANCHTHONEM epistola in miscellaneis Groeninganis Tomo III. fasc. III. p. 374. sqq.

(1) Retuli haec ex libro germanico idiomate manu exarato, motus Bremenses isto tempore exortos accurate recensente p. 32. ad p. 53.

(2) in *hist. Mot.* P. II. Cap. VIII. p. 177.

(3) l. c. p. 178. Conf. Additam Num. XXIV. & Num. XXV.

(4) Conf. LOESCHERVS l. c. & SALIGIVS in *Historia August. Confessionis* P. III. L. X. Cap. V. §. XX. p. 747. sq.

in quo (ſine dubio quid expediat interrogatus) exponit, ſibi non uideri conſultum, ut Concionatores Bremenſes, in Synodo proxima, nouam Confeſſionem exhibeant, melius ex ſua ſententia fore, ſi confeſſionis certae loco exhibeant uerba formalia ex Auguſtana Confeſſione, apologia, Smalcaldicis articulis, Catechiſmo LVTHERI, &, ſi uideatur neceſſe, ex Concordia Vitebergae conſtituta anno XXXVI. Neque habebat conſilii ſui rationes contemnendas. Quarum prima erat, quod pace religionis comprehenderentur Pontificii & Auguſtanae Confeſſionis Socii, excluderentur uero ſacramentarii, Anabaptiſtae & alii. Incumbere igitur ſtatibus circuli ſaxonici, ut inquirant, quaenam pars uerbis formalibus Auguſtanae Confeſſionis inhaereat & quaenam illa repudiet, aut iſtiusmodi ſententias foueat, quae cum illa non conueniunt. Quum enim Concionatores Bremenſes profiteantur, ſe Auguſtanae Confeſſioni ex animo addictos eſſe, quemadmodum in articulis Smalcaldicis & Catechiſmo LVTHERI eſt declarata, Status non poſſe permittere, ut communis omnium eccleſiarum noſtrarum confeſſio iudicata, approbata & recepta, uel Theologorum in Synodo praeſentium, aut etiam academiarum cenſurae denuo ſubiiciatur. Partem quoque aduerſam Auguſtanam Confeſſionem non poſſe reprobare: Vrgeri uero ut uel Confeſſionem ſimpliciter approbet, uel ut ſe ipſam ab ea ſeparet. Quod ſi uero Concionatores Bremenſes nouam exhibituri ſint Confeſſionem, metuendum eſſe, ne pars diſſentiens expoſcat, ut utraque Confeſſio, uel Theologis nullo partium ſtudio ductis, uel etiam academiis diiudicanda mittatur, & ſi uel uocem uel loquendi formulam inuenerit in Auguſtana Confeſſione non formaliter deprehenſam, dicturam eſſe: Aliorum iudicio & cenſura opus eſſe ut conſtet, quid ipſis de illa loquendi aut docendi ratione uideatur. Sic uero facile euenire poſſe, ut experiantur quam uerum ſit prouerbium: Nihil poteſt tam recte dici, quod a calumniatore deprauari non poſſit. Quum enim academiarum iudicium utrique parti in decreto Halberſtadienſi ſit conceſſum, ſe non uidere, quomodo Senatus & Concionatores Bremenſes, ſi altera pars ad illud ſe recipiat, illud euitare poſſit. Addit & hanc rationem EITZENIVS: Fieri poſſe, ut Theologi, quibus a Statibus circuli Saxonici diiudicatio horum ſcriptorum commiſſa eſt, unam aut alteram locutionem in noua Confeſſione Concionato-

rum Bremenſium occurrentem, ſiquidem illa exhibeatur, improbent, aut a ſe inuicem in quibusdam diſſentiant, ſic nihil decerni poſſe, Status uero rem academiarum cenſurae tradituros, incendium Bremenſe interim maiores indies uires acquiſiturum eſſe. Quod ſi uero ponatur, Theologos arbitros communi conſenſu nouam Concionatorum Bremenſium confeſſionem approbaturos eſſe, partem alteram tamen, ſi haec ſibi non ſatisfaciat, ad academiarum iudicium ſe recipere poſſe. Neque appellationem ad academias, iuxta receſſum Halberſtadienſem, ipſi denegari poſſe. Quam tamen rationem haec certamina componendi maxime impeditam eſſe, quum ſic ſumma rerum in non neceſſariam aleam temere detur, exiſtimat. Cetera in conſilio ipſo, additamentis inſerendo, legi poſſunt. (1)

§. XLII.

Quum anno cIↃ IↃ LXI. die III. Februarii Conſiliarii & Legati Principum & ordinum inferioris Saxoniae Brunswigae conuenirent, ut de Bremenſi diſſidio, inter Concionatores Bremenſes & Doctorem HARDENBERGIVM pie componendo deliberarent, EITZENIVS noſter etiam ad ſynodum hanc legabatur.(2) Aderant cum illo Theologi alii, ſcilicet VAL. CVRTIVS, Superintendens Lubecenſis, DAV. CHYTRAEVS, Profeſſor Theologiae Roſtochienſis, ERNESTVS BOCK, Superintendens Bardewicenſis, IACOBVS GROSSHANS, Superintendens Goslarienſis, RVDOLPHVS MOLLERVS, Superintendens Hamelenſis, LEONHARDVS SCHVVEGER, Superintendens Reinſteinienſis, FRIDERICVS DEDEKINDVS, Paſtor Neuſtetenſis & BARTHOL. SPROCKHOFF, Paſtor Wuntzdorfius, quibus cum EITZENIO arbitrorum & iudicum uices demandatae erant. Vtraque pars & Concionatores Bremenſes, & HARDENBERGIVS, ſuam confeſſionem exhibebat. His peractis ab utraque parte requirebatur, ut

(1) V. *Additamenta* Num. XXVI.

(2) De hac ſynodo Brunſuicenſi v. LOESCHERVS *in hiſt. Mot.* P. II. p. 188. ſqq. VVIGANDVS *de Sacramentariſmo* fol. 373. ſqq. REHTMEYERVS *in hiſt. eccleſ. Brunſv.* P. III. p. 240. ſq. & in *additamentis* ad Cap. VII. p. 82. ſqq. & SALIGIVS *in hiſt Aug. Conf.* P. III. L. X. Cap. V. p. 749. ſqq.

ut quid altera in alterius confessione desideraret, exponeret. His quoque mandatis quum obtemperatum esset, Theologi arbitri Bremensium Concionatorum Confessionem probabant, de HARDENBERGIO uero pronunciabant, quod ex eius positionibus appareat, eum praesentiam Corporis & Sanguinis Christi in sacra Coena negare, & errorum ZVVINGLIANORVM non posse absolui. Latebras quidem subinde quaerebat HARDENBERGIVS, scribens: A se controuersiam de Coena non excitatam esse, sed tantum falsam doctrinam de ubiquitate Corporis Christi, quam Concionatores Bremenses in publico auditorum suorum coetu saepius proposuerant, ac tandem in libris editis per totam Germaniam diuulgauerant, reprehensam atque improbatam esse. (1) Verum Theologi arbitri quid in animo haberet facile detege-

(1) Conf. VVIGANDVS *de Sacramentarismo* fol. 381. Circa haec obseruandum HARDENBERGIVM iam dudum ante motas Bremae controuersias ad Sacramentariorum errores amplectendos inclinasse. Apparet id ex IOANNIS a LASCO ad eum datis litteris in *Bibloth. Hist. Phil.* Bremae edita Classi VI. Fasc. I. p. 148. sqq. & p. 153. Scribit enim in quadam ad HARDENBERGIVM epistola anno CIↃ IↃ XLVIII. exarata: *Meministi, opinor, mi* ALBERTE, *tibi hoc a me praedictum esse, te istic* (Bremae videlicet) *sine tragoedia diu non mansurum esse.* In sequentibus LVTHERANORVM de sacra Coena doctrinam improbat, & circa finem epistolae scribit: *Sed uellem semel statueres certe, ubinam* &c. *Nam ita suspenso animo semper esse non uideo quid fructus adferat. Si eo plane es animo, ut sis nobiscum, locus paratus est, modo ut dicas.* Ja. *Et uellem ut faceres si me audias.* Haec a LASCO. Neque causam habebat HARDENBERGIVS, cur toties in doctrinam de omnipraesentia humanae naturae in Christo, quam *ubiquitatis* nomine traducebat, inueheretur. Non enim tantum in ordinatione sacrorum Bremensi haec doctrina recepta erat, sed sciebat etiam HARDENBERGIVS, ZVVINGLIANOS Theologis nostris occasionem dedisse in hanc doctrinam diligentius inquirendi. Sacramentarii enim a Theologis nostratibus ad incitas redacti, quando se uerbis scripturae, praesentiam Corporis & Sanguinis Christi in sacra Coena adstruentis, premi uidebant, clamitabant: Scripturam non posse secundum litteram explicari. Verum enim corpus non posse pluribus locis simul esse. Iam in Colloquio Marpurgensi anno CIↃ IↃ XXIX. habito, ZVVINGLIVS hac obiectione utebatur & diuo LVTHERO eam proponebat. Eodem ariete ZVVINGLII asseclae Augustanae Confessionis socios prosternere subinde tentauerunt. Quid igitur Theologi nostri, iuxta scripturam aliud respondere poterant quam illud? Omnipotentem Deum id utique efficere posse

bant. Et quum ordinum circuli Saxonici inferioris Legati requirerent, ut ex Theologis, qui adeſſent, eligeretur quidam, qui cum HARDENBERGIO in conſeſſu ordinum de praecipuis capitibus controuerſis & propoſitionibus eius colloqueretur, ut cauſam totam diligentius audirent & cognoſcerent, Theologi ſtatim ſe ad illam collationem, nominato collocutore EITZENIO, obtulerunt. Id quum ordinum Legati HARDENBERGIO ſignificaſſent, noluit in colloquium conſentire, illudque nominatim neque cum EITZENIO neque cum CHYTRAEO ſuſcipere. Illum enim nuper Bremae ſe aduerſarium & hoſtem ſuum declaraſſe; hunc uero diſcipulum quendam ſuum, qui eandem cum ipſo doctrinam confeſſus eſſet, examinatum, Roſtochii praeiudicio ſuo condemnaſſe. (1) De ceteris partim contemtim loquebatur, partim uero, quoniam ſibi ignoti eſſent, & ſe hoſtibus ſuis coniungerent, non poſſe

---

ut uerum Corpus pluribus locis ſimul ſit, aut ſi ZVVINGLIANI negarent Omnipotentia Diuina id effici poſſe, ut adſtruerent: Naturam Chriſti humanam, ad quam Corpus eius referendum quoque eſt, in Perſonam Filii Dei aſſumtam, & ad dextram Dei exaltatam, eam habere prae noſtris corporibus eminentiam, ut ſit, ubicunque Perſona τῦ λόγυ eſt. Quum uero ea omnipraeſens ſit, omnipraeſentiam quoque naturae humanae Chriſti in Perſona τῦ λόγυ exiſtentis non poſſe denegari. Aegre ferebat hoc aſſertum in BRENTIO EITZENIVS noſter, praeſertim ob duriores quasdam locutiones, quas EITZENIVS paradoxa BRENTII uocabat. Verum audiamus quomodo IACOBVS ANDREAS eum excuſauerit: BRENTIVS, inquit, *ueſtigia* LVTHERI *ſecutus, eorum impietati contradixit ſemper, qui maieſtati filii hominis per uerbalem praedicationem detrahere conati ſunt. Et inuitus, ſicut* LVTHERVS *quoque, in hanc controuerſiam pertractus eſt. Sed quum aduerſarii urſerint ſemper humani Corporis proprietatem, & communicationem realem proprietatum nullam fieri poſſe ſine naturarum confuſione, nec admiſerint argumenta de omnipotentia Dei abſolute, qua ratione quaeſo tergiuerſari potuit, quin,* LVTHERI *exemplo, argumenta eorum inuerteret & demonſtraret ideo adeſſe Chriſtum ſuo Corpore, quod ſecundum humanam naturam ſit collocatus ad dextram Dei, quae neque locus eſt, neque in loco, ſed ubique, ſicut* LVTHERI *ſcripta polemica & didactica habent.* Conf. IAC. ANDREAE ad EITZENIVM *epiſtola in Bibliotheca Danica* P. IV. p. 332.

(1) Erat is M. RVDOLPHVS MVNCHHAVSEN de quo V. quae §. XXIV. ſcripſi.

posse se illos collocutores aut iudices ferre profitebatur. Offerre tamen se ad disputionem cum quibuscunque, si secum proficiscerentur ad istiusmodi academias, ubi iudices non suspectos habiturus esset. (1) Proposuerunt igitur ordines circuli saxonici HARDENBERGIO positiones quasdam, ad quas sine ambiguitate aut affirmando aut negando responderet. (2) Hoc, quum postero die, exhibita sua responsione, feciisset, (3) rogati Theologi sunt ab Ordinibus, ut sententiam suam de illis responsionibus & optima has controuersias componendi ratione exponerent. EITZENIVS iterum deligebatur, ut in illustri Ordinum consessu, omnium Theologorum nomine, uerba faceret, qui HARDENBERGII responsiones Augustanae confessioni eiusque apologiae atque Smalcaldicis articulis repugnare demonstrauit, ex quibus appareat, illum Doctorem ZVVINGLIANVM & CALVINIANVM immo Sacramentarium esse, quae ex singulis responsionibus, ore facundo, pluribus uerbis differuit. (4) Quum igitur, illo in urbe remanente, nulla pax atque concordia speranda sit, se quidem iudicare, nihil tutius esse, quam si de optima ratione HARDENBERGIVM ex urbe remouendi Ordines cogitarent. Postridie igitur Consiliarii & Legati Principum & Statuum inferioris Saxoniae, conuocatis in curiam Theologis Ordinum, & Concionatoribus Bremensibus, & Doctore HARDENBERGIO, sententiam tulerunt, in qua expositio totius causae processu, & rationibus grauissimis explicatis, pronunciant, ut HARDENBERGIVS intra dies XIV. Brema discedat, nec ullum sermonen sacrum coram populo Bremensi in posterum habeat, nec usquam in toto inferioris Saxoniae circulo deinceps commoretur. (5) Fecit, quod sibi imperatum erat, HARDENBERGIVS, atque ex urbe discessit. (6)

(1) Conf. VVIGANDVS de *Sacramentariismo* fol. 384. pagina uersa, & LOESCHERVS *in hist. Mot.* P. II. p. 196.
(2) Exstant illae apud VVIGANDVM l. c. fol. 385.
(3) VVIGANDVS l. c. Conf. & de his omnibus RETHTMEYERVS in *hist. eccles. Brunsu.* P. III. in *Additam ad Cap.* VII. Num. III. ad XI.
(4) Conf. LOESCHERVS l. c. p. 197. & VVIGANDVS l. c. fol. 386. uerso sq.
(5) Idem l. c. fol. 387. uerso, ubi etiam decretum ordinum inferioris Saxoniae de amouendo HARDENBERGIO adducit.
(6) Idem p. 388. & LOESCHERIVS l. c. p. 206.

§. XLIII.

HARDENBERGIO remoto, factio eius, quam Bremae reliquerat, tranquillitatis publicae non erat ſtudioſa, ſed uariis potius calumniis decretum Ordinum circuli Saxonici, Brunswigae contra HARDENBERGIVM promulgatum, proſcindebat, multis inprimis dicteriis & ſcriptis in Magiſtratum Bremenſem inuehebatur, quem decretum Principum Brunſuiçenſe, in quo HARDENBERGIVS ſolum uertere iuſſus erat, auro argentoque extorſiſſe criminabatur. Haec publice ſparſa, in notitiam quoque Statuum Circuli Saxonici inferioris uenerunt. Qui, datis ad Senatum Bremenſem, litteris, eum adhortabantur, ut in hos calumniatores ſerio animaduerteret. Quo neglecto, Status ipſos ad id intentos fore, ne impune laceſſerentur. His igitur ſatisfacturus ſenatus, mandatum publicis locis affigi iuſſit, cuius ſumma haec eſt, ut Ciuibus imperetur, ut omnia ſcripta iniuria, in quibus HARDENBERGIVM iniuſte remotum eſſe aſſeritur, aut ob hanc remotionem unus aut alter proſcinditur, intra decem dies Camerario ciuitatis exhibeant. Si uero poſt elapſos decem dies iſtiusmodi ſcripta penes quenquam reperiantur, eum uel auctorem indicaturum uel pro auctore habendum eſſe. Omnibus ciuibus & incolis Bremenſibus denique, ne HARDENBERGIVM praeter ius & fas proſcriptum eſſe ſpargerent, prohibetur. Publicatum hoc mandatum eſt, anno cIↃ IↃ LXI. die XXVI. Septembris. (1) Promulgauit quoque recte ſentiens Senatus aliud edictum, die III. Ianuarii anno cIↃ IↃ LXII, quo condonationem & obliuionem omnibus pollicetur, qui Sacramentariis erroribus imbuti fuerunt, uerum ad amplectendam ueritatem proni eſſent. Monet etiam, ſi quis adhuc implicitus ſit Sacramentariorum dogmatibus, ut ſibi ſoli ſapiat & errores eluctari curet, neque alliis eos inſtillet, communique tranquillitati & paci omnes ſtudeant. (2)

Hoc ipſum mandatum, quum diu irrito ſtudio quaeſiuiſſem, tandem illud a Viro Magnifico MARTINO LVCA SCHELE, Conſule ciuitatis noſtrae Seniore grauiſſimo, & Muſarum tam ſeueriorum, quam

(1) Vid. Additam. Num. XXVII.

(2) Conf. VVIGANDVS l. c. fol. 388. uerſo.

quam amoeniorum, Statore atque fautore maximo, nactus sum. Concessit enim is usibus meis IOANNIS RENNERI Chronicon urbis Bremensis, manu exaratum, in quo & motus ab HARDENBERGIO excitatos magna cura, non tamen animo, ab omni partium studio alieno, recenset. (1) Ex

(1) Tradam, quum hoc pace Viri magnifici fieri non dubitem, summa huius Chronici capita, in quantum haec ad motus hos illustrandos faciunt. Agitur in eo generatim. Van einem groten Vprore tho Bremen, so van wegen der Religion hergekahmen is. Inseritur epistola Regis Daniae CHRISTIANI ad Senatum Bremensem die XIII. Aprilis anno CIↃ IↃ LVII. scripta; adducuntur porro litterae IOANNIS FRIDERICI & IOANNIS VVILHELMI Ducum Saxoniae ad Magistratum Bremensem eodem anno Dominica Trinitatis datae. Sequitur aliud caput, cuius argumentum est: Wat de Ostfresischen Gesanten in der twistigen Religions-Saken tho Bremen vthgerichtet hebben. Et in alio memoratur: Wo de Rath tho Bremen Doctor Albert von Bremen hebben wille, vndt deswegen den Bischup besocht. Inseruntur litterae responsoriae Archiepiscopi GEORGII anno CIↃ IↃ LX, & Magistratus Lubecensis, Hamburgensis & Luneburgensis epistola eodem anno die XVIII. Iunii ad Senatum Bremensem scripta. Exponitur potro wo D. Albertus Hardenberch syne Bekantenisse vam H. Auendtmahle an den Predigtstohle im Dohme genegelt hefft, & adducitur quid HARDENBERGIVS de Augustana Confessione eiusque apologia sentiat. Deinde refert auctor Chronici. Wo D. Albert tho Brunschwick condemneret is, vnd also van Bremen weg möten. In capitibus sequentibus exponit: Wo D. Albertus is van Bremen getagen: Wes sich tho Bremen na Doctor Alberts Verwiesungen tho gedragen und begunnen hefft. Huic capiti mandatum, cuius mentionem feci, inseritur. Refert amplius wat dem Borgermeister Daniel van Buiren vnd sinen Adhaerenten wedderfahren, darvan ein Vploep geworden is: Wo de twistige Sake twischen dem Rade vnd der Borgerschup verdragen is, welches auerst nicht lange gewahret hefft: Wo de Predicanten tho Bremen verbannet sind; Wo de Rath uth der Stadt Bremen entweken is. In quo capite nomina eorum, qui ex ciuitate excesserunt, recensentur. Wat des Neddersaeßischen Kraitzes-Gesandten tho Bremen vthgerichtet hebben. Adducitur mandatum Caesaris anno CIↃ IↃ LXII. die XII. Iulii in hac causa promulgatum & inseruntur litterae Caesaris ad Archiepiscopum Bremensem. In capite proxime sequenti exponit: Wo de van Bremen ere Borgermeisters vnd Rathlüide gekahren hebben. Additur: Wo der Bischop den Ottersberch van den Vthgewekenen wedderumme inbekamen vnd erönert hefft: Wo de Vthgewekenen den Rath tho Bremen vor dem Rieke tho Franckfurth höchlick vorklaget hebbenn: Wo de Stadt Bremen vth der Hanse gelecht is: Wat de van Bremen, als se vth der Hanse gesettet, vorgenahmen hebben: Wes sich in der vthgeweken Sake tho Goßlar thogedragen vnd begeuen hefft; Wo de Vthgewekenen wedder in de Stadt Bremen gekahmen syn.

Ex hoc descripsi mandatum hoc Senatus Bremensis & in additamentis imprimendum curaui. (1)

§. XLIV.

Quum BVRENIVS Consul, factionis HARDENBERGIANAE caput, regimen ciuitatis, armata stipatus cohorte, obtinuisset (2) abolito priori mandato, & Senatu in maximas angustias redacto, Doctore SIMONE MVSAEO & BOCKHEISTERO, illo Superintendente, hoc uerbi Diuini in urbe Bremensi hactenus Ministro, ex urbe expulsis, aliis Concionatoribus iniungebatur, ut ab omnibus conuiciis pro concione abstinerent, neque quidquam, quod HARDENBERGII doctrinae aduersum esset, publice docerent, & in eo acquiescerent, ut quisque suam retineret sententiam. His nisi morem gererent, proscriptionis fulmine terrebantur. (3) Scribebant igitur in tantis aerumnis Concionatores Bremenses ad uicinarum ecclesiarum Theologos, eorum consilium, quid his temporibus, calamitate plenis, faciendum sit sibi expetituri. Litteris igitur datis se etiam ad Sacrum ordinem Hamburgensem contulerunt, eius consilium atque sententiam sibi efflagitantes. EITZENIVS summus Sacrorum Hamburgensium Praesul, conuentui ordinis sui, ob Bremensium litteras instituendo, ualetudine aduersa impeditus, interesse non potuit, quod apparet ex scripto eius, additamentis a me inserendo (4) quod Pastoribus & Concionatoribus congregatis misit, in quo suam de rebus Bremensibus sententiam exponit, cuius argumentum est, quod neque conditiones a factione HARDENBERGII praescriptas accipere, nec officium deserere debeant. Scribebat igitur ordo sacer Hamburgensis responsorias litteras ad Concionatores Bremenses, cuius Auctorem EITZENIVM esse, non est quod dubitemus.

(1) Num. XXVIII.
(2) Vide omnino Vener. VAL. ERN. LOESCHERVS in hist. Mot. P. II. p. 206. sq.
(3) V. l. c. p. 210.
(4) Num. XXVIIII.

bitemus. (1) Integras illas, licet nuper bibliothecae Danicae inſertae ſint (2) hoc loco tradam.

Salutem per Chriſtum.

Reuerendi Viri & cariſſimi Fratres. Veſtras litteras cum gemitibus & lacrymis legimus. Triſtiſſima res eſt in Politia ſeditio, de qua uere ſcriptum eſt in THVCYDIDE; *In ſeditione eſſe omnem ſpeciem mali.* Sed quid triſtius eſſe poteſt, quam quum una ſeditione & regimen politicum & eccleſiaſticum concutitur, ideo, ut oppreſſa uera doctrina, errores inducantur & conſtabiliantur. In tali ſeditione uere eſſe omnem ſpeciem mali, ſatis monſtrauit hiſtoria Monaſterienſis. Dominus Ieſus Chriſtus, ueſtram ciuitatem & eccleſiam cuſtodiat, ne Brema ſimile exemplum fiat poſteris. Amen.

Duo ſunt, Fratres cariſſimi, quae nobis in litteris ueſtris deliberanda propoſuiſtis: Manerene in ueſtro officio & conditiones in ſeditione praeſcriptas accipere, an uero ſimul iſthinc diſcedere, & eccleſiam deſerere, hoc triſti tempore, debeatis? Etſi autem non dubitamus, uos ſine noſtra admonitione & ſcire & facturos eſſe, quod pium & rectum eſt, tamen noſtrum conſilium libenter uobis communicamus. Sentimus autem, neutrum poſſe recte & pie fieri: Primo enim conditiones propoſitae accipi & probari a uobis non poſſunt, ne aliqua ex parte culpam peccatorum, quae in ſeditioſa illa actione contra Deum, Magiſtratum & Concionatores facta ſunt

(1) In Actis Miniſt. Hamburg. Tomo II. haec conſignata ſunt: A. CIↃ IↃ LXII. d. XIX. Ianuarii mota fuit Bremae ſeditio a quibusdam, qui adhaerebant ALBERTO HARDENBERGIO, ZVVINGLII caſtra ſequenti. Et quum D. MVSAEVS Superintendens cum paucis aliis urbe excedere cogeretur, reliqui etiam Concionatores cedere, quam manere maluerunt. Petiuerunt itaque noſtrum conſilium & ſententiam, quam re deliberata II. Februarii, litteris perſcriptis a D. PAVLO, ipſis communicauimus. (2) P. IV. 208.

sunt, in Vos deriuetis, de quibus nos disputare prolixe nolumus, propterea, quod omnes circumstantiae nobis non sunt notae. Sed illud manifestum est, eo spectare totam illam actionem seditiosam, ut exstirpata uera doctrina, haeresis ALBERTI in uestra ecclesia libere & impune doceatur, hoc est, ut ecclesia Christi apud uos fiat spelunca Sacramentariorum. Ideo in istis uiolentis decretis reuocantur & cassantur omnia praecedentia acta contra ALBERTVM & ipsius falsam doctrinam. Ideo abrogatur pium mandatum Senatus, quod die III. Ianuarii promulgatum fuit. Ideo proponitur illa impia conditio, ne ALBERTI doctrina reprehendatur. Recte itaque uos decreta illa uocatis mandatum diabolicum, & quum tale esse uosmet ipsi iudicetis, nos certe non necesse habemus prolixe de pluribus causis differere, propter quas promittere debeatis, uos mandato diabolico obedientiam praestare uelle.

Secundo loco neque hoc consulere possumus, ut hoc miserrimo tempore Ecclesiam adeo afflictam, & Sacramentariorum inuasionibus aperte expositam, deseratis. Mercenarius uidet lupum uenientem & fugit, sed uerus Pastor ponit animam suam pro ouibus suis. Causa tota ad uerae doctrinae & fidei confessionem, & necessariam defensionem pertinet. Talem itaque causam fugiendo deserere non debetis. Consulimus itaque, ut ardenti inuocatione, & ipsam causam, & ecclesiam uestram, & Vos quoque, Domino Iesu Christo capiti & custodi ecclesiae, & piorum Ministrorum, commendetis, & constantes in uocatione & statione uestra maneatis, faciatisque officia ministerii uestri sedulo & fideliter. Proponite uobis certissimam promissionem additam a Filio Dei ad commissionem ministerii Euangelii. Et ecce ego uobiscum sum ad consummationem seculi. Et exempla Sanctorum Martyrum

rum uobis proponite, qui mortem oppetere maluerunt, quam a ueritate doctrinae & fidei Christianae latum unguem discedere. Nunc afflicta & misera ecclesia Bremensis uestro ministerio, fide & opera maxime indiget. Eam si nunc deseratis, turpius facietis, ac sic uxores ac filias uestras malletis prostituere, quam contra impudicos nebulones cum periculo uitae uestrae defendere. Eandem enim fidem ecclesiae quam uxoribus & liberis debetis. Quum autem necesse sit, constantiam seu fortitudinem a temeritate alienam, & cum pia prudentia coniunctam esse, sicut scriptum est: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Item. *Qui amat periculum, peribit in illo*; Ideo diligenter monemus, ut prudenter & circumspecte necessaria faciatis, adhibentes moderationem, quantam cum bona conscientia praestare poteritis. Et intuentes exempla sanctorum, immo ipsius Filii Dei, qui aliquoties in praesentissimo periculo furori hostium ad tempus cesit, multisque exemplis nobis hanc regulam declarauit: Deum non esse tentandum & pericula amanda non esse. Itaque uos recte & utiliter facturos esse existimamus, si primo quoque tempore per litteras supplicatorias tum Magistratui, tum etiam aedilibus parochiarum singularum exponetis causas, tum illas, propter quas mandato obtemperare, tum etiam illas, propter quas diutius officia concionandi & administrandi Sacramenta intermittere non possitis, addita declaratione, qua modestia & moderatione uelitis falsam doctrinam oppugnare, ita ut non coacti mandato, sed libera uoluntate ab insectatione personarum (salua tamen ecclesiastica potestate contra notorios in dispensatione sanctorum Sacramentorum) abstinere uelitis, donec sentietis eam moderationem aedificationi ecclesiae prodesse, ad quam omnia nostra consilia & actiones, immo

uoces etiam directae esse debent. Speramus, si eam moderationem per litteras promittetis Magistratui & aedilibus, & postea etiam in ministerii functione obseruabitis, quod Deo dante multos commouebitis, ut prudentius & magis pie de his rebus cogitent, & ad saniora consilia animos flectant. Scimus in Magistratu & inter ciues uestros plurimos esse non solum sapientissimos, sed etiam pientissimos Viros, qui sunt templa Spiritus sancti, quorum consilia ut libenter etiam audiatis, hortamur, ne quid temere & inconsulto fiat. Nos interim & precibus ad Deum, & admonitionibus ad Senatum nostrum, causam uestram, quantum a nobis fieri poterit, adiuuabimus. Nihil enim existimamus utilius fieri posse, quam ut Magistratus uicinarum urbium auctoritatem suam amice interponant, & studeant exortam discordiam pia & Christiana transactione componere. Dominus noster Iesus Christus adsit uobis & toti ecclesiae uestrae sua gratia & sancto Spiritu, & sub pedibus uestris conculcet Satanam mendacem & homicidam. Hamburgi, feria sexta post Esto mihi, cIↃ IↃ LXII.

Superintendens, Pastores &
Ministri Eccl. Hamb.

§. XLV.

Hoc ipso anno sexagesimo secundo EITZENIVS, postquam dimissionem suam ab amplissimo reipublicae nostrae Senatu expetiuerat sed aegre impetrauerat, uocatione ab Holsatiae Duce ADOLPHO ad summi Praesulis Slesuicensis munus accepta, Hamburgo nostro ualedixit. Exhibuit Senatui Hamburgensi scriptum aliquod, in quo causas exponit, cur officio suo, quo Hamburgi hactenus functus est, renunciare e re sua esse arbitretur. Asseruatur illud in nonnullis bibliothe-

cis manu exaratum & ita inſcriptum: PAVLI VON EITZEN Superintend. grauamina, wie ihm ſein Ampt ſo beſchwerlich werde gemacht durch Verfolgung und dergleichen, und daher um Erlaſſung deſſelben anhalte. Referam potiora, quae adduxit argumenta. Primum conqueritur de diſſidiis & litigationibus, quae inter Concionatores Hamburgenſes iam ab aliquot annis interceſſerunt. Haec quum obſint ciuitatis atque ecleſiae commodo, disquirendum eſſe, cuinam haec diſſidia imputanda ſint. Se quidem, ſi eorum Auctor eſſe deprehendatur, ſe animaduerſione dignum eſſe iudicare. Quod ſi uero eorum culpa in alios conferenda ſit, dolere ſe, quod ii, quibus id incumbit iis tollendis non operam dent, aut ſi hoc fieri non poſſit, ſatius eſſe ſe diſcedere: Propoſuiſſe quidem Senatum Concionatoribus, ad conſeruandam pacem atque concordiam, capita quaedam, quibus quoque ſubſcripſerint: (1) Plures uero eſſe, qui iisdem morem non gerant. Quod ſi impune feratur, melius eſſe iudicat alio loco cuſtodis, quam Hamburgi Superintendentis officio fungi. Notiſſimum eſſe ſcribit, ſe, & alios, qui ſecum faciunt, pro concione peſſime deſcribi atque traduci, ut unusquisque facile intelligere poſſit, ſe aliosque tangi. Tacuiſſe ſe quidem hactenus cum ſociis ſuis pacis conſeruandae rationem habentibus. At enim uero, quum modum aduerſarii ſui excedant, & quisque ad tuendam famam, innocentiam, atque exiſtimationem ſuam obligatus ſit, reſpondendum tandem calumniatoribus eſſe. Quum uero hoc facto maiores turbae metuendae ſint, praeferendum eſſe ducit, ſiquidem Hamburgo diſcedat, atque alio loco conſtitutus, ſi opus fuerit, reſpondeat. Id enim ciuitati non obfuturum eſſe. Altera eius ratio, cur Hamburgo diſcedere malit, eſt, quod multi ſibi propoſuerint ſcholam publicam, puerorum inſtitutioni, magnis ſumtibus, dicatam deuaſtare. Quoniam autem ſcholarum maxima in republica utilitas ſibi perſpecta ſit, ſe quidem nolle nomini ſuo illam maculam adſpergi, ut poſteri, ſuo tempore, ſcholam abrogatam eſſe dicant. Eum uero, qui haec ſibi diſplicere proderet, conuiciis proſcindi & metu proſcriptionis terreri.

1) Conf. quae de his §. XXI, a me ſcripta ſunt.

Fuiſſe praeterea nonnullos, ſcribit, a tempore muneris Hamburgi ſuſcepti ſibi infenſos, & adhuc eſſe, metuendumque ſibi in ſingulis fere conuentibus eſſe, ut in detrimentum ualetudinis ſuae in ſe inuehantur, his omnibus uero ſe corporis & animi uiribus frangi, ex quibus denuo infert, ſuum ex hac ciuitate diſceſſum praeferendum eſſe. Neque ſe temere officio Hamburgenſi renunciare ſcribit, ſed quoniam ſentiat, ſe parum eccleſiae noſtrae prodeſſe, melius fortaſſe alii ſibi ſuccedenti omnia ceſſura eſſe, quod ipſi quidem non inuideat. Tandem profitetur, haec grauamina ſua in nullius accuſationem intelligenda aut interpretanda eſſe. (1) Ni fallor, cupidum fore lectorem exiſtimo percipiendi, quaenam diſſidia atque lites fuerint, & unde ortum traxerint, quae EITZENIO tantas creabant moleſtias. Nolo igitur lectorem dubium atque incertum relinquere, ſed dicam quod ſentio, quum firmiter mihi ſit perſuaſum, me certa, & non uanis coniecturis innixa prolaturum eſſe. Quum EITZENIVS certaminum diutinorum mentionem iniiciat, (2) in quae ſecum Concionatores Hamburgenſes deſcenderint, uelim ut legentes haec recogitent, quae §. XVII. expoſui. Erant ſcilicet inter ordinis ſacri Viros Hamburgenſes, qui, ex nimia erga MELANCHTHONEM ueneratione, ferre non poterant, ut quis uel ſiniſtre de eo ſentiret aut iudicaret, quidquid etiam in detrimentum ueritatis atque coetus purioris tentaret. Horum princeps & caput erat EITZENIVS. Is enim de MELANCHTHONE bene ſemper ſperabat. (3) Fuerunt e contra alii, qui quidem MELANCHTHONEM ut Praeceptorem ſuum amabant, atque uenerabantur, ſed usque ad aram, neque ultra quam par erat. Hi in MELANCHTHONE tepiditatem eius, in certaminibus Adiaphoriſticis, mollitiem, eius cum Sacramentariis colluſionem, non laude ſed repre-

(1) Lege, ſi placet, haec grauamina in Additam. Num. XXX.

(2) Scribit. Es iſt bekannt und offenbar, daß in dieſer guten Stadt eine ärgerliche langwierige Uneinigkeit unter uns Predigern, doch nicht in der Lehre ſich befunden.

(3) Conferatur epiſtola EITZENII ad PETRVM BOKELMANNVM hactenus, quantum ſcio, inedita. Quae quum etiam ad motus Bremenſes illuſtrandos faciat, & in antecedentibus, neſcio quo caſu, oculos meos effugerit, Additam. Num. XXXI. inſerta eſt.

reprehenſione dignam eſſe iudicabant. In hac ſententia perſeuerabat VVESTPHALVS cum aliis. Hinc oriebantur illae diſſenſiones. Has uero ampliſſimus reipublicae noſtrae Senatus non ita facile componere poterat. EITZENIVS cum ſuis aſſeclis nimium amori erga MELANCHTHONEM indulgebat, illosque, qui eius tepiditatem & conſilia, coetui puriori, ultimis uitae ſuae annis, exitioſa improbabant, ferre non poterat. Altera pars autem aeſtimabat in MELANCHTHONE, quod in eo aeſtimatione dignum erat, id uero a ſe impetrare non poterat, ut propterea eius tepiditatem, aliosque lapſus uel palliaret, uel ornaret, uel defenderet, uel in iis, in quibus diſſentiendum ab eo erat, cum illo conſentiret. Verum & propior horum litigiorum cauſa reddi poteſt. In praecedentibus obſeruaui, EITZENIVM quidem ſcripto Luneburgenſi ſubſcripſiſſe, eius uero editionem poſtea, data opera, ſed irrito conatu, impediuiſſe. (1) Quod ipſum, quum a Theologis exteris ipſi uitio uerſum ſit, (2) non poterat etiam non quibusdam Collegis ſuis, inprimis uero VVESTPHALO, qui decreto Luneburgenſi una cum illo ſubſcripſerat, quam maxime diſplicere. Rebus uero ſic ſtantibus, horum diſſidiorum cauſam ſibi magis, quam Collegis ſuis imputare debuiſſet EITZENIVS. Habet interim Hamburgum, cur ſibi EITZENII ex urbe diſceſſum gratuletur. Quod ſi enim apud nos permanſiſſet, & Concordiae negotium ab anno cIↃ IↃ LXX. ad annum cIↃ IↃ LXXX. praecipue tentatum, & feliciter ad finem perductum, nec non formulae Concordiae ſubſcriptionem, tanto conatu Hamburgi impedire uoluiſſet, quanto id, nec ſine ſucceſſu, in Cimbria & Dania fecit, maximos inde motus, grauiſſimasque diſtractiones, cum inſigni eccleſiae noſtrae damno, inde exorituras fuiſſe,

(1) V. quae ſcripſimus §. XXIX & XXX.

(2) HERM. HAMELMANNVS in epiſtola ad MART. CHEMNITIVM cIↃ IↃ LXII. d. V. Aprilis exarata ſcribit: *Se praeter alias tragoedias audire quoque, ex iis qui in ſynodo Luneburgica ſubſcripſerunt, quosdam necatos & fatis conceſſiſſe, ut* FREDERVM *veneno ſublatum. Duos item Bremenſes Miniſtros eiectos eſſe, &* PAVLVM AB EITZEN *nunc huic ſynodo reclamare, quod ipſum plurimum commoueat. Velle itaque ſibi ſignificari inprimis de* PAVLO AB EITZEN, *an retractauerit, quae antea in ſynodo ſolenniter comprobauit propria manu.* V. HENR. MVHLIVS *de ref. rel. in Cimbria* p. 105.

isse, non temere susspicor. Renunciasse autem EITZENIVM officio Hamburgensi die I Iunii huius anni certo scio. (1)

TANTVM.

ADDITA-

(1) In *Actis ordinis nostri* Tomo II. p. 209. haec consignata reperio: Anno 1562. d. 1 Iunii hefft D. Paul von Eitzen Superintendens, sein Ampt resigniret, vnd is van hier getagen int Land tho Holsten, dasülueſt Superintendens tho Schleswick geworden. *Causas Deus nouit.* Eundem diem & annum definiuit quoque beatus IO. ALB. FABRICIVS in *Mem. Hamb.* Vol II. p. 859. Conf. praeterea de eius uocatione Slesuicensi D. HENR. MVHLIVS *in comment. de reformat. relig. in Cimbria* p. 97. & Celeb. ADAM HENR. LACKMANNVS in der Einleitung zur Schleswig-Holsteinischen Historie P. I. p. 546. & P. II. p. 157. qui quidem, loco priori, beatum VVILCKENIVM, tabularii reipublicae nostrae quondam Praefectum, quem Archiuarium dicere solemus, Auctorem uitae D. ADAMI THRATZIGERI, in ea adstruentem, EITZENIVM iam anno CIↃ IↃ LVI. in Holsatiam uocatum esse, confutaturus, testimonia a VVILCKENIO adducta, fidem non mereri adstruit. Verum ex antea dictis percipiet & uera fuisse, quae VVILCKENIVS scripsit in uita THRATZIGERI p. 15. EITZENIVM duci ADOLPHO ad uisitandas ecclesias suas ad tempus commodatum fuisse V. quae scripsi §. XIII. & certissimum esse, quod ab eodem hoc Principe iam antea ad Superintendentis Slesuicensis munus uocatus sit, quum EITZENIVS in gra-ſaminibus suis, quibus motus Hamburgo discessit, testetur, se denuo a Duce uocari daß er zum andernmahl uociret worden. Neque ex eo, quod HELDVADERVS & HEIMREICHIVS, quorum testimoniis nixus VVILCKENIVS haec retulit, in determinanda temporis ratione saepius errent, tuto inferre licet, illos etiam hoc loco, aut semper erraſſe.

ADDITAMENTA.

No. I.

Propoſitiones de qvibus diſputabit Magiſter Paulus de ELTZEN Hamburgenſis, Superintendens Eccleſiae Dei in inclyta urbe Saxoniae Hamburga. Wittebergae, Anno 1556. die Maii 18.

De diſcrimine uerae Eccleſiae Dei & aliorum hominum.

I.

Quanquam demonſtrationes ſunt natura notae, quae teſtantur eſſe Deum, & docent qualis ſit, tamen aſſenſio languefit, & multi & aſſidui ſunt aeſtus & Euripi dubitationum, & quia in mentibus caligo eſt, & quia magna eſt impiorum multitudo, & magis floret, contra uero Eccleſia coetus eſt exiguus, miſer, ſpretus, ſine imperio, ſine humanis praeſidiis, aeger, diſſipatus, exulans in mundo, & qui ſeuicia Tyranorum & fanaticorum furoribus aſſidue laceratur.

2. Haec triſtia ſpectacula cum intuentur infirmae mentes, cohorreſcunt & diſputant, an hic miſer coetus ſit Eccleſia Dei, ſed confirmandae ſunt teſtimoniis & patefactionibus diuinis.

3. Eſſe aliquam Dei Eccleſiam in genere humano manifeſtum eſt ex patefactionibus diuinis, quibus Deus addidit teſtimonia, reſuſcitationem mortuorum, & alia miracula. Ipſa etiam magnitu-

do calamitatum humanarum & Lex oſtendunt genus humanum non tantum ad huius uitae aerumnas conditum eſſe, quia & fieri aliquando legem oportet, & finem eſſe calamitatum cum fiet Lex. Non enim fruſtra Lex & inſita eſt mentibus, & repetita uoce diuina.

4. Quae & qualis ſit Eccleſia Dei, oſtendunt etiam illae ipſae patefactiones. Nam ille coetus eſt Eccleſia in quo Deus ſe patefecit in membris certis, & qui uocem doctrinae Dei incorruptam & integram legem & promiſſionem de Mediatore amplectitur. Et talis eſt Eccleſia qualia ſunt illa membra, & qualis eſt coetus amplectens uocem doctrinae integram, etiamſi eſt aerumnoſus, diſperſus, & oppreſſus multiplici Tyrannide.

5. Nec fingimus ideam Platonicam cum Eccleſiam in hac uita nominamus, ſed monſtramus Eccleſiam uiſibilem, quae conſpici & exaudiri poteſt, iuxta dictum, in omnem terram exiuit ſonus eorum. Eſtque uiſibilis eccleſia coetus amplectentium incorruptam Euangelii doctrinam, & recte utentium Sacramentis, in quo filius Dei uere eſt efficax, & multos regenerat uoce Euangelii & Spiritu ſancto, & facit haeredes uitae aeternae. Et ſunt tamen in eo coetu multi non ſancti, ſed tamen de doctrina conſentientes.

6. Duo ſunt genera doctrinae in Eccleſia, inde uſque ab initio cum Adam & Heua recepti ſunt, Lex & Euangelium. Vna eſt Lex moralis in tota aeternitate, quae eſt ſapientia aeterna & immota norma iuſticiae in Deo, diſcernens recta & non recta, patefacta racionali creaturae in creatione, & poſtea uoce diuina ſaepe repetita in Eccleſia, oſtendens quod ſit Deus, & qualis ſit, & obligans omnes racionales creaturas, & pracipiens, ut ſint omnes conformes Deo, & dennncians iuſtam & horrendam iram Dei aduerſus peccata, qua Deus damnat & deſtruit omnes non conformes, niſi fiat remiſſio & reconciliatio propter filium Mediatorem.

7. Euangelium eſt praedicatio poenitentiae & promiſſionis, quae non eſt naturali luce nota, ſed ex arcano conſilio diuinitatis per filium prolata eſt, qui miſſus eſt, ut propter eum & per eum imme-

immediate colligatur Ecclesia, ostendatur misericordia Dei uoce Euangelii, & dentur remissio peccatorum, reconciliatio, imputatio iusticiae, uiuificatio & donatio Spiritus sancti, haereditas uitae aeternae, iusticiae & gloriae aeternae, gratis fide accipientibus promissionem propter Mediatorem.

8. Etsi Lex quoque testimonium est de Ecclesia, nam in sola uera Ecclesia semper retenta est integra & incorrupta legis doctrina, ceterae sectae omnes eam corruperunt & mutilauerunt, tamen uox Euangelii proprie facit discrimen Ecclesiae & aliarum gentium, sicut inquit Paulus, Fundamentum aliud poni non potest praeter id quod positum est, quod est Iesus Christus.

9. Non inuocant uerum Deum Mahometistae & omnes alii, ignari & hostes Christi ut hoc tempore defensores Serueti & similes, quia qui filium non honorat, non honorat Patrem.

10. Vniuersa scriptura ueteris & noui Testamenti praecipit inuocare Messiam. Est igitur Messias omnipotens. Hic perpetuus consensus uniuersae scripturae sit in conspectu & ad confirmandum dogma, quod Filius, qui est imago aeterni Patris, sit Deus, & ad excitandam inuocationem.

11. Filius nominatur λόγος, non solum quia cogitatione Patris nascitur, sed etiam quia est persona missa, ut per eam immediate colligatur Ecclesia, proferens Euangelium ex sinu aeterni Patris, quae semper adest Ecclesiae, ostendit credentibus Patris misericordiam, uoce Euangelii & uiuificat eos, & dat Spiritum sanctum, seruat ministerium Euangelii, & Ecclesiam. Haec facit inde usque ab initio & antequam adsumpsit humanam naturam, & nunc in natura assumpta. Haec interpretatio adpellationis λογος dulcissima est, & commonefacit nos de perpetua praesentia & efficacia filii Dei in Ecclesia. Congruit autem cum dicto, Filius qui est in sinu Patris ipse enarrauit nobis Item τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Item Nemo nouit Patrem nisi filius, & cui uolet filius reuelare.

12. Esse autem λόγον ἐνσάρκον, seu personam multa dicta testantur, quae adfirmant eum esse antequam adsumpsit humanam

naturam. Antequam Abraham natus eſt, ego ſum. Item Paulus ad Corinthios, Bibebant ex ſpirituali comitante eos Petra, Petra autem erat Chriſtus. Et Iohan. 17. Glorifica me Pater apud te ea gloria quam habui apud te antequam fuit mundus. Et in Epiſtola ad Ebreos nominatur filius per quem omnia condita ſunt. Et hic filius dicitur eſſe ἀπαύγασμα gloriae & character ſubſtantiae patris. Et ad Coloſſenſes dicitur, omnia per ipſum condita eſſe. Item dicta Ioh. 1. & Ioh. 5. Pater meus usque modo operatur, & ego operor, Denique ſint in conſpectu illuſtria teſtimonia, ut fides & inuocatio in nobis confirmentur & celebremus hanc mirandam bonitatem, quod uere filius Dei miſſus ſit ad Eccleſiam ab initio, & quod uere ſit cuſtos Eceleſiae, & ſit efficax uoce doctrinae, & agamus gratias quod hoc mirando foedere amorem teſtatus eſt, quod aſſumpſit humanam naturam, & ut nos redimeret, inenarrabili humilitate ſe uoluntati aeterni Patris ſubiecit. Tu fili Dei domine Ieſu Chriſte accende in nobis ueram agnitionem tui, & eam in nobis confirma contra diabolos qui ueritatem horribili odio tui oppugnant conſtitutis maximis imperiis Mahometicis in genere humano, & excitatis aliis organis contra gloriam filii Dei.

13. Sed teneatur haec firmiſima Regula. Impoſſibile eſt ullos coetus reiicientes ſcripta Prophetica & Apoſtolica eſſe Eccleſiam Dei. Quare non frangamur conſpectu multitudinis & potentiae Mahometicae, etſi triſte & horrendum ſpectaculum eſt.

14. Papa etſi uideri uult retinere libros Propheticos & Apoſtolicos, tamen & idola manifeſte contraria contra legem Dei & dogmata falſa defendit & manifeſtis mendaciis addit parricidia, ut agnoſci poſſit, regi conſilia Pontificia a diabolo, qui eſt mendax & homicida.

15. Lex diuina & immutabilis inquit, Dominum Deum tuum adorabis & ei ſoli ſeruies. Papa iubet inuocare homines mortuos, & circumfert panem adorandum, cum extra inſtitutum uſum, nihil habeat rationem Sacramenti, & multiplex eſt in Miſſa Pontificia idolorum cultus.

16. Nunc etiam factio Pontificia fingit nouum deliramentum, ait

ait ſanctos inuocandos eſſe, ut mediatores, Chriſtum tantum ut Deum, quia tantum fuerit Mediator in paſſione.

17. Huic deliramento opponimus dicta Rom. 8. Qui eſt in dextra Dei, qui & interpellat pro nobis. Et Ebre. 7. Semper uiuens ut interpellet pro eis. Et in Pſalmo, tu es Sacerdos in aeternum ſecundum ordinem Melchizedek. Et ipſe inquit, quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis.

18. Mediator eſt Perſona diuinitus conſtituta, ut ſua merita pro nobis offerat, & ſit deprecatrix, & habeat promisſionem quod exaudiatur.

19. Solus igitur filius Dei dominus noſter Ieſus Chriſtus eſt Mediator, & nomen Mediatoris perſonae competit, quae eſt Deus & homo.

20. Omnis uera inuocatio quae fit ad Deum ſemper intelligatur complecti Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, iuxta dictum, Pater meus uſque modo operatur, & ego operor. Et non agnoſcitur Pater, niſi & filius agnoſcatur. Et ſic diſcernimus noſtram inuocationem ab Ethnica. Omnipotens Deus aeterne Pater domini noſtri Ieſu Chriſti. Et uſitate dicitur, Pater noſter qui es in coelis, hoc loco Pater eſt eſſentiae nomen, non tantum unius Perſonae.

21. Semper igitur Filius utroque modo inuocandus eſt. Et cum Patre ac Spiritu ſancto, ut Deus dator bonorum. Et ut mediator, miſſus ac intercedens. Idque ſeruamus in forma uſitata, omnipotens Deus, aeterne Pater domini noſtri Ieſu Chriſti, creator cum Filio & Spiritu ſancto ſapiens uerax, bone, miſericors, miſerere mei propter filium tuum, dominum noſtrum Ieſum Chriſtum crucifixum pro nobis & reſuſcitatum, quem uoluiſti pro nobis eſſe uictimam, μεσίτην καὶ ἱκέτην, & iuſtifica me propter eum & per eum, & ſanctifica me Spiritu ſancto tuo &c. Sic ipſe dicit, quidquid petieritis Patrem in nomine meo, id eſt, me nominato, credentes uos propter me exaudiri &c. Certe uult agnoſci & inuocari etiam ut Sacerdos & aſſiduus deprecator pro nobis, & nominatim hoc dici, da Deus propter filium.

22. Sic & Daniel precatur, exaudi nos Deus, non propter iuſtitiam noſtram, ſed per miſericordiam, propter Dominum.

23. Multae ſunt etiam aliae corruptulae Pontificiae in doctrina de lege, peccato, gratia, fide, iuſtitia, poenitentia, Eccleſia, miniſterio Euangelico, Traditionibus humanis, unde intelligi poteſt talium errorum defenſores, non eſſe Eccleſiam Dei.

24. Manifeſta Euangelii deletio eſt, fingere hominem in hac uita eſſe iuſtum lege, ſeu propriis operibus, & in hac imaginatione multi ſunt inuoluti errores.

25. Manifeſta Euangelii deletio eſt, dicere ſemper dubitandum eſſe, an ſis in gratia.

26. Falſa interpretatio eſt, fide ſumus iuſti, ſcilicet, formata, quaſi hoc uelit Paulus, non fide ſed propter ſequentem dilectionem, uidelicet, propter proprias uirtutes homo eſt iuſtus, ſimilis corruptela eſt Oſiandricorum, fide iuſtificamur, ſcilicet, praeparatiue.

27. Vniuerſa Prophetica & Apoſtolica ſcriptura perpetuo conſenſu hoc adfirmat, hominem in conuerſione accipere remiſſionem peccatorum, reconciliationem, imputationem iuſtitiae, uiuificationem, Spiritum ſanctum, & hereditatem uitae aeternae, propter Mediatorem gratis, fide, non propter noſtram dignitatem, aut noſtra merita, aut noſtras uirtutes. Hanc & Pauli ſententiam eſſe adfirmamus, qui quidem & Prophetica teſtimonia eo citat, ut Eccleſia uideat eum non diſcedere a doctrina Prophetarum.

28. Hanc perpetuam ſententiam Prophetarum & Apoſtolorum, dei beneficio retinent & noſtrae Eccleſiae, cum dicimus, ſola fide iuſtificamur, & reiiciunt Papiſticam & Oſiandricam Synecdochen, quae cum ſplendidiſſime defenditur, tantum hoc dicit, renatos nouitate iuſtos eſſe. Nam Oſiander expreſſe definit iuſtitiam his uerbis, iuſtitia eſt quod efficit nos iuſta facere quod quid aliud eſt, quam homines iuſta faciendo iuſtos eſſe. At Pſalmus inquit, Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens.

29. Veriſſimum eſt habitare deum in ſanctis, & in eis efficacem

cem esse & illas pulcherrimas uirtutes in Ioseph, Daniele & similibus, sine ulla dubitatione esse motus diuinos iustitiam, & sacrificia Deo grata, sed propter haec quanquam diuina bona, persona non est iusta curam deo, id est, habens remissionem peccatornm & reconciliationem. Imo haec bona ne esse quidem possunt, nisi prelucente fide, quae credit Personam recipi & placere propter filii Dei obedientiam, & filium Dei uelut umbraculum esse quo tegimur in iudicio Dei, sicut dicitur. Sumus dilecti in dilecto. Item iustus fide sua uiuet.

30. Nominantur autem illae uirtutes, Iusticiae & Sacrificia, quia in reconciliato sunt res congruentes cum uoluntate Dei, imo sunt opera Dei & testimonia de deo in cordibus & in Ecclesia. Et sunt sacrificia quibus uult Deus celebrari. Et longe superant Philosophorum uirtutes, quia in Philosophicis non lucet agnitio Dei, & non sunt λογικὴ λατρεία, id est, cultus in quibus lucent noticia Dei, timor, fides.

31. Et seuerisime execrandus & fugiendus est furor Antinomorum, qui fingunt non contristari & non excuti Spiritum sanctum sceleribus contra conscientiam, cum clarisime dictum sit 1. Corint. 6. Ne erretis, scortatores, Idolorum cultores, Moechi &c. non possidebunt regnum Dei. Item, milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam.

32. Non ideo filius Dei missus est, & tantis miraculis colligit & seruauit Ecclesiam, seruata familia Nohae in diluuio, educto populo ex Aegypto & Babylone. Non ideo adsumpsit humanam naturam, sensit iram aeterni Patris, sudans sanguinem, & uictima in cruce factus est, ut tu omnibus furoribus, opinionum libidinum, crudelitatis indulgeas, ut Dauid rapiat alterius coniugem, interficiat uirum, irritet iram Dei, ut seditio sequatur plena scelerum, & calamitatum. Sed ideo immensa misericordia nos redemit, ut deleat peccatum & mortem, & nos uiuificet, ac sibi adsimilet & aeternam iustitiam in nobis restituat, sicut Paulus inquit. Transformamur in eandem imaginem, id est, adsimulamur filio, qui est imago aeterni Patris, sapientia seu luce, quae est agnitio Dei, & motibus congruentibus uerbo Dei.

33. Filius dicens consolationem in mentibus nostris uoce Euangelii, ostendit praesentiam Patris, & uiuificat credentem & dat Spiritum sanctum, ut confirmet cor & accendat inuocationem & alios motus tales qualis ipse est, sicut 1. Iohan. 4 dicitur, in hoc cognoscimus, quod in eo manemus, & ipse in nobis, quia de spiritu suo dat nobis. Et digna est consideratione sententia Athanasii, in quocunque dicitur esse Spiritus sanctus, ibi est per uerbum, id est, per filium, efficacem uoce Euangelii.

34. Haec transformatio in nobis est noua obedientia, quae non est meritum uitae aeternae, sed ideo quia manet ordo immutabilis, ut creatura rationalis Deo obediat, & quia ad aeternam iustitiam restituimur necessaria est. Et tamen retinenda est exclusiua, sola fide est, fiducia misericordiae propter Mediatorem iusti sumus, & haeredes uitae aeternae. Non enim habemus in hac uita legis impletionem, de qua dicit Paulus, nos spiritu ex fide spem iustitiae expectamus.

35. Hanc totam doctrinam cum Papistae multipliciter corrumpent, & errores Sophismatum praestigiis & tyrannica crudelitate defendant, non sunt uera Ecclesia.

36. Ecclesiam intelligunt Papistae esse Regnum Episcoporum alligatum ad ordinariam successionem, ut ipli nominant, & ad traditiones humanas, ut si Regnum gallicum describerent, alligatum ad ordinariam Regum successionem, & ad certas Regni leges & iudicia. Haec Politica κακοζηλία plena est multorum errorum.

37. Alligata est autem Ecclesia ad incorruptam Euangelii doctrinam, quae & ministerium Euangelii, & usum sacramentorum ordinat, & hoc modo Deus aeternam Ecclesiam per filium colligit, & uoce Euangelii est efficax, ut expresse dicitur Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Et Paulus sic describit Regnum Christi in hac uita, cum ait, tradet Regnum Deo & Patri.

38 Regnum Christi aeternum est, ut in Luca dicitur. Regni eius non erit finis. Sed quia modus alius est Regni in hac uita, alius post iudicium, ideo Paulus inquit, tradet Regnum Deo & Patri. In hac uita Regnum Christi, est filium missum esse, ut proferat

ferat Euangelium ex ſinu aeterni Patris, antea ignotum omnibus creaturis, & adſumpta humana natura redimat Eccleſiam, & eam uoce Euangelii immediate colligat, & uiuificet dato Spiritu ſancto, ſit Redemptor & Saluator, protegat & ſeruet Eccleſiam, & ſit caput omnia in omnibus perficiens, & poſt mortem reſuſcitet nos, & ueſtiat munda natura, ut deinde uiſibiliter habitet in nobis Deus, & ſit omnia in beatis omnibus. Regnat igitur Chriſtus in hac uita in Eccleſia, per miniſterium Euangelii. Poſt hanc uitam etſi manet Rex & caput Eccleſiae, tamen modus alius erit, ſcilicet uiſibilis conſpectus.

39. Cum igitur uniuerſa ſcriptura Prophetica & Apoſtolica adfirmet, uoce Euangelii colligi Eccleſiam, & cum hac uoce & cogitatione ſcripti uerbi Deum efficacem eſſe, non eſt audiendus Stenkefeldius, qui non deſinit uociferari, Deum ſe ſine medio communicare, ſine uoce miniſterii, ſine cogitatione ſcriptae doctrinae. His fanaticis clamoribus abducit homines a lectione, & cogitatione ſcriptae doctrinae, ut manifeſtiſſima exempla multorum oſtendunt, qui Paſtores aut pellunt, aut audire nolunt, & iactitant illa Enthuſiaſtica oracula Stenkefeldii.

40. Opponamus autem certiſſima teſtimonia diuinitus tradita. Rom. 1. Euangelium eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Rom. 10. Fides ex auditu eſt, auditus per uerbum Dei, Ioh. 1. Vnigenitus filius qui eſt in ſinu Patris, enarrauit nobis. Quam ob cauſam filius Dei λόγος miſſus eſt? quare Deus tam arcani & mirandi decreti nuncium uult filium eſſe? ſi non huius uocis cogitatione homines conuertit, & uiuificat. Pſalm 118. Haec eſt conſolatio mea in adflictione mea, quod eloquium tuum uiuificat me. Vult nos Deus in trepidationibus & pauoribus intueri promiſſionem reuelatam, ibi uult nos quaerere & agnoſcere ſuam uoluntatem, & adſentiri promiſſioni. Et certiſſimum eſt ipſum filium Dei λόγον, in adſentientibus efficacem eſſe, ideo Pſalmus 129. dicit, expectaui dominum, expectauit anima mea, & in uerbo eius ſperaui.

41. Tota ſcriptura Prophetica & Apoſtolica plena eſt teſtimoniorum, quae non ſolum praecipiunt ut diſcamus, audiamus, cogitemus ſcripta diuinitus tradita, ſed etiam ut ſciamus Deum hac

ipsa cogitatione efficacem esse, ut Rom. 10. Prope est uerbum in ore tuo &c. & ad Corinthios nominatur Euangelium, ministerium Spiritus, id est, quo Spiritus sanctus datur & est efficax.

42. Et quid opus est longa refutatione? Cum Paulus delectione praecipiat, & dicat inde consolationem petendam esse, anteferatur Stenkefeldio, qui remouet lectionem, & iubet expectare Enthusiasmos simulatione toruitatis, ut multos uidimus impostores abiicientes doctrinae metas, qui postea & opiniones tetras sparserunt, & seditiones mouerunt.

43. Retineamus potius dictum Pauli : Sis adsiduus & attentus in lectione, consolatione, & doctrina. Orditur Paulus a lectione, quia Euangelium non est natura notum, ut doctrinae Philosophicae, sed discendum est ex scriptis, quae Deus uoluit per Prophetas & Apostolos mandari literis. Et lectioni addit consolationem. Deus igitur ea lectione efficax est. Doctrina est enarratio lectionis seu scripti, cum uox docentis ostendit argumenta, membra, exitus in proposita materia. Et ad Colossenses inquit. Sermo Christi habitet in uobis abunde in omni sapientia, & docete, & emendate uos mutuo.

44. Eludit haec dicta Stenkefeldius sermo, id est, ipse filius. Sed in his dictis expresse fit mentio lectionis, & doctrinae, & commonefactionis. Ac detestentur bonae meutes petulantiam & Sophisticam in eludendis manifestis testimoniis. Scimus cogitationem sine actione diuina Literam esse, sed simul hoc dicimus, filium Dei per cogitationem scriptae doctrinae efficacem esse. Et hunc ordinem immensa sapientia & bonitate Dei constitutum esse. Nec aliter senserunt pii unquam in Ecclesia, sed semper fuerunt homines fanatici & Enthusiastici, qui coeca ambitione moti καὶ τετυφωμένοι similia deliramenta circumtulerunt, quia opinione Enthusiasmi & colloquiorum diuinorum terrentur homines & adducuntur, ut tales impostores magnifaciant, quales fuerunt nostra aetate multis noti Pelargus, Monetarius, Monasterienses, Campanus, & multi alii.

45. Salomon simul de ministerio externo & de filio Dei con-

cionatur. Fui coram eo artifex, & deliciae quotidianae, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrae ſuae, & delectationes meae cum filiis hominum. Spectacula nobis omnium pulcherrima proponit, adfirmat filium Dei formatorem fuiſſe immediatum ordinis & oeconomiae in creatione operum mundi. Et hunc ipſum filium Dei delectari hominum conſuetudine. Quid poteſt dici dulcius? Significat autem filium Dei miſſum eſſe ad homines, & adiungit externum uerbum, ait hanc ſapientiam clamare in portis ciuitatis. Ita & nos dicimus filium Dei adeſſe Eccleſiae & efficacem eſſe uoce Euangelii, ſicut in Iohanne ſcriptum eſt. Ego ſum uitis, uos palmites. Et ad Epheſios, Chriſtus eſt caput Eccleſiae omnia perficiens in omnibus.

46. Praeterea in opinionibus Papiſtarum magnum chaos eſt errorum, de traditionibus humanis in Eccleſia. Eorum errorum defenſio etiam diſcernit ueram Eccleſiam ab impiis congregationibus.

47. Opera non mandata diuinitus nequaquam ſunt cultus Dei, iuxta dictum, fruſtra colunt me mandatis hominum. Talia ſunt Monachorum uota, diſcrimina ciborum, coelibatus Sacerdotum, & ſimilia.

48. Nunc Cynicus Auſtriacus renouat deliramenta de perfectione. Nominat perfectionem, ſimulationem paupertatis, cum ſit paraſitus aulicus.

49. Impoſſibile eſt opera non mandata a Deo, perfectionem eſſe cum non ſint cultus Dei. Et manifeſte dicat uox diuina. In praeceptis meis ambulate, non in praeceptis Patrum ueſtrorum. Et cum nullus homo in hac prauitate naturae poſſit ſatisfacere legi Dei, manifeſtum eſt, non eſſe in hominibus perfectam obedientiam. Sed Paulus inquit, in Chriſto conſummati eſtis, uidelicet imputatione. Et poſtea in uita aeterna erit perfectio re ipſa in nobis, cum erit Deus omnia in omnibus beatis, id eſt, cum ita fulgebit in nobis Deus, ut non ſit ſimul peccatum, ſicut in hac uita in ſanctis etiamſi ſunt Templum Dei, tamen adhuc haeret in eis peccatum.

50. Certissimum est duo genera esse operum in Ecclesia, signa promissionum, quae nominantur Sacramenta, & sacrificia. Ac insulse cogitant de Sacramentis in Nouo Testamento, qui imaginantur, baptismum & coenam Domini ritus esse principaliter ad hoc institutos, ut discernant christianos ab aliis coram hominibus sicut Toga discernebat Romanum a graeco. Sicut aliqui scripserunt.

51, Sed Sacramenta Noui Testamenti sunt signa uoluntatis Dei erga nos, id est, sunt ritus a Deo instituti, ut sint Testimonia seu pignora, quod Deus exhibeat nobis promissa beneficia in Euangelio. Hic primus finis est, postea possunt accedere alii fines & significationes, ut hic est calix Noui Testamenti, id est, nouae promissionis, qui erit pignus testificans dari uobis promissa in nouo Testamento. Et promissio est accipienda fide, sic igitur utendum est Sacramento ut credas tibi exhiberi promissa in Euangelio, remissionem peccatorum, & reconciliationem. Recte etiam dicitur, esse ea testimonia adplicationis, ut cum promissio generalis sit, usus Sacramenti est pignus testificans promissionem ad te pertinere. Hic primus & proximus finis est coenae domini. Postea est Neruus congregationis, Testimonium confessionis, foedus beneuolentiae erga Ecclesiam & priuatim erga omnes ciues eiusdem Ecclesiae. Possunt enim unius operis plures esse fines. Haec in genere de ratione Sacramenti scire necesse est.

52. At sacrificia sunt opera a Deo mandata, facienda in fide, in quibus Deo nos aliquid offerimus, uidelicet obedientiam, qua testamur hunc uere Deum esse quem sic colimus, & ostendimus eum sic uelle coli, ut castitas Ioseph est opus a Deo mandatum, fit uera fide, & praestat Deo obedientiam, qua testatur hunc uere esse Deum qui colitur, & ostendit eum sic uelle coli. Obedientia Stephani in supplicio, est opus mandatum a Deo, fit uera fide, & praestat hunc honorem Deo, testatur hunc uere Deum esse qui sic colitur & ostendit eum sic uelle coli.

53. Osiander tres gradus fecit sacrificiorum, Typica, Propiciatorium, & alimenta sacerdotum. Altera distinctio magis perspicua

ſpicua eſt, quae facit duas ſpecies, propiciatorium & εὐχαριστικὸν. Vnicum eſt autem reipſa propiciatorium, uidelicet obedientia filii Dei, quae eſt λύτρον pro nobis & meretur nobis reconciliationem. Nec eſſe plura teſtatur dictum, unica oblatione conſummauit ſanctos, ac Paulus Rom. 8. nominauit περὶ ἁμαρτίας, Vbi haec uera Syntaxis eſt, condemnauit peccatum ſcilicet noſtrum in carne noſtra, περὶ ἁμαρτίας id eſt, per hoſtiam, quae nominabatur περὶ ἁμαρτίας. Quod autem in lege quaedam nominabantur propiciatoria, habebant id nomen propter typum, nec merebantur remiſſionem, ſed cum pii offerebant erant εὐχαριστικὰ.

54. Sunt autem omnia caetera piorum ſacrificia εὐχαριστικὰ, uidelicet omnia opera a deo mandata, facta in fide, ut in eis Deo offerant obedientiam & teſtentur hunc uere eſſe Deum quem ſic colunt, & oſtendant eum ſic uelle coli. Sic ſacrificia ſunt caſtitas Ioſeph, obedientia Stephani in ſupplicio, labor Pauli in docendo, beneficentia quam exercet Sareptana praebens hoſpitium Eliæ.

55. Haec diſtributione conſiderata manifeſtum eſt horrendam impietatem eſſe, quod fingunt Papiſtae, Miſſam eſſe ſacrificium quod mereatur remiſſionem peccatorum facienti & aliis.

56. Nec eſſe ſacrificium εὐχαριστικὸν inde adparet, quia non inſtitutum eſt, ut offerant Chriſtum, cumque offerre ſit ingredi in Sanctum ſanctorum, & deriuare in ſeſe iram Dei, haec ipſi tantum filio competunt, non aliis. Vnde igitur haec audacia eſt, quod ſacrificuli dicunt ſeſe offerre Chriſtum. Neque haec ſunt in ueteri graeco Canone.

57. Nec minor eſt impietas quod plurimi ſacrificuli, uentris cauſa ritum imitantur prorſus ignorantes quid agant. Tales colunt Deum Maozim.

58. Haec ingentia mala ſatis deplorari non poſſunt, etiam ſi tantum lacrymarum ſinguli funderemus, quantum undarum uehunt magna flumina. Sed orandus eſt filius Dei, ut ipſe deleat omnia Idola & nos doceat, & ad ueros cultus omnium pectora flectat. Cum autem tantum Idolorum & errorum ſit in ſecta Papiſtica & accedat iniuſta crudelitas, manifeſtum eſt Papam & Epiſco-

pos non esse Ecclesiam Dei, & scriptores qui praetexunt nomen Ecclesiae, his tantis sceleribus, Polum, Osium, Roardum, Canusium, Staphylum, & similes, decipere ignaros & horribiliter Deum offendera. Tenenda est enim Regula, siquis aliud Euangelium docet, Anathema sit. Cum igitur Ecclesia sit coetus recte docens, uera gratitudine Deum celebremus, quod nos fecit ciues uerae Ecclesiae, & propter hoc ingens beneficium, pie fouere nostros coetus studeamus.

De Capta Constantinopoli, Anno 1453. Oratio Recitata cum decerneretur gradus Doctoris Reuerendo D. Paulo ab Eitzen Superintendenti Ecclesiae Dei in inclyta urbe Hamburga a Georgio Maiore Doctore. Wittebergae 1556.

Annus hic est centesimus & tertius post quam Turci die Maii Vicesimo nono Constantinopolin, non solum arcem Graeci imperii, sed etiam doctrinarum & uetus Ecclesiae hospicium, post obsidionem dierum quatuor & quinquaginta ui ceperunt, facta caede crudelissima imperatoris, coniugis, filiarum & filiorum & plurimarum nobilium familiarum & populi, qua tanta de re, cum me dies admonuisset, cumque magno cum dolore, & ueteres Ecclesiae calamitates & praesentes intuerer, & uero prospicerem futuras, non alia de re potius hic dicendum esse censui.

Nam & illud uerum est, ὅπου ἀλγεῖ, ἐκεῖ χεῖρα ἔχει. Et apud iuniores necesse est tantas imperiorum & Ecclesiae mutationes saepe commemorari, in quibus cum poenae scelerum humanorum conspiciuntur, aliqui certe modestiores fiunt & mouentur, ut cura suae salutis & Ecclesiae magis afficiantur.

Ita Siracides iubet intueri aliorum calamitates, ut communi lege nobis similia ferenda esse cogitemus. Hodie mihi, cras tibi.

Scripsit

Scripsit Polybius se astitisse Scipioni intuenti Carthaginis incendium ac lacrymanti, quem cum interrogasset cur lacrymaret uictor tanto bello perfecto? Tum ille gemens respondit, non sine ingenti commiseratione se clarissimae urbis, quae iam annos septingentos stetisset, interitum spectare posse, nec sine magno dolore de ruinis imperiorum ueterum, & futuro aliquanto post urbis Romae excidio, & de immensa communium aerumnarum generis humani mole cogitare, ac subiecisse hos uersus.

Tempus erit quando ruiturum est Ilion altum,
Cumque simul fortis Priamus populusque peribit.

Videmus autem, ut de aliis malis non dicam, nunc Turcos non Thraciam aut Graeciam uastare, sed oppressa Pannonia, iam aliquoties in Germaniam ingressos esse. Quare metuamus nos quoque & Turcica & alia bella, & emendatis moribus, suo quisque loco rectius faciat munera sui officii, & assiduis gemitibus & uotis petamus, ne sinat Deus Ecclesias deleri, & fieri talem barbariem & uastitatem, qualis est in magna parte generis humani, ac praesertim quam late Mahometica Tyrannis dominatur.

Ac de Turcis augeant nobis metum uaticinia in Ezechiele de Gog & Magog. Deinde & recentes quaedam praedictiones Hiltenii uiri non contemnendi, qui fuit Franciscanus in collegio Isennacensi, & cum alia praedixit quae euenerunt, tum & hoc uaticinatur, Anno Millesimo sexcentesimo Turcos in Germania & Italia regnaturos esse.

Id in tantis Regum & Principum discordiis, & crescentibus peccatis, defensione idolorum, parricidiis & aliis sceleribus posse accidere, ratiocinari facile est. Ac fere ubique attraxerunt Turcos demesticae discordiae & alia scelera.

Haec cum his diebus cogitarem, simul etiam inquisiui excidium Athenarum quae ab eodem Tyranno, qui Byzantium coepit deletae sunt. Sed causas uidete diuini iudicii.

Florentinus quidam Nerius principatum Athenarum adeptus erat,

erat, is cum moritur, uidua cum paruulo filio relicta, impetrat pecuniam a Mahometo, ut ipsa in possessione principatus Attici maneat. Haec postea exarsit amore Veneti mercatoris, qui Venetiis uxorem habebat. Cum hoc paciscitur, si diuortium faciat cum uxore, se ipsi nupturam esse, & collacaturam eum in principatum.

Venetus incensus cupiditate domum redit, & coniugem ueneno tollit. Postea redit Athenas, & ducta uidua principatu potitur, & saeuiciam exercet in uiros nobiles. Athenienses Tyrannum auersati, accusant eum apud Mahometum. Cum ad hunc profectus esset, ut eum pecunia placaret, Mahometus eum interfici iubet.

Ita primum ipse scelerum poenas dedit. Postea cum Mahometus parui haeredis cognato principatum tradidisset, is mulierem, quae propter libidinem specie coniugii principatum ad Venetum amatorem transtulerat, inclusam carceri Megaris interficit. Ita & mulier diuiuitus punita est.

Haeres matre orbatus, cum sibi quoquae a cognato eripi principatum uideret, accusat eum apud Mahometum de nece matris. Mandat igitur Mahometus, uidens non esse finem parricidiorum in ea familia, praesidi Thessaliae, ut Athenas occupet. Ita in Mahometi potestatem Athenae redactae sunt, ubi postea propter ciuium seditiones arcem & magnam partem urbis uictor deleuit. Nunc tantum ἐρείπια reliqua sunt, casae piscatorum & colluuies peregrinorum hominum, qui ex barbaris gentibus casu eo confluunt.

Hic est urbis finis, quæ & exempla uirtutum egregia habuit, & domicilium fuit doctrinarum, & res honestas ac magnas sapienter & fortiter gesit contra Persas, & in imperio modestior fuit Spartanis & Thebanis, suntque duo millia annorum a Solone usque ad hunc Mahometum euersorem Athenarum.

Haec eo commemoraui, ut consideratis causis quae attrahunt gentium atque urbium interitus, simus modestiores, & a Deo gubernationem & defensionem petamus.

Opta-

Optarim autem Germanicos principes & in inquirendis hiſtoriis Turcicis diligentiores, & in defenſione patriae coniunctiores & acriores eſſe, ac ſi magis noſſent eam gentem, & formam imperii ipſorum, & exempla ſaeuiciae & militiae genus & preliandi conſuetudinem, magnitudo rerum excitaret generoſos animos ad maiorem curam defendendi patriam, Eccleſiam, leges, familias nobiles, honeſtas Politias, diſciplinam & doctrinas.

Haec ipſa, quae nunc recito, nuper in linguam latinam ex Chalcondyle ciue Athenienſi conuerſa ſunt, qui ſpectator & pars aliqua fuit multarum calamitatum quas narrat, qui in gentium deſcriptione, de Germanis inquit, nullam noui gentem cuius mores ſint honeſtiores, qui ſi concordes eſſent, eſſent inuicti.

Videte quam opinionem de maioribus ueſtris adhuc recens habuerint exteri homines honeſti, quorum iudiciis utinam & huius aetatis mores reſponderent.

Sed quo mē dolor abducit ingreſſum in hiſtorias Turcicas? Cum de Byzantio dicere coeperim. Priusquam uero de excidio dicam, propter adoleſcentes pauca de nomine & uetuſtate eius urbis commemorabo.

Situs eſt in Thracia ad Helleſpontum ualde opportunus Imperiis, quia ibi minimum diſtant Europa & Aſia. Nec in Africam incommoda nauigatio eſt, & quidem ſcribitur ueterem urbem Byzantium a Carthaginenſibus conditam eſſe, quos ualde inſtructos fuiſſe nauibus & procul tranſuexiſſe merces, multae hiſtoriae teſtantur. Ac mihi quidem uidetur nominis origo eſſe ex lingua Phoenicum, conueniens nouo Emporio in loco uoluptatibus opportuno, Beth Zona, id eſt, domus cauponae, & congruere appellationem mores uetuſti oſtenderunt.

Scribit enim Phylarchus Byzantios, ſolitos in cauponis dies & noctes commorari, & portus alter nominatus eſt mulierum portus.

Deinde. Megarenſium Colonia eo deducta eſt. Ita illatae ſunt eo, graeca lingua & Graecae leges, & poſt bellum Xerxis, interdum Lacedaemoniorum, interdum Athenienſium ſocia fuit.

Deinde Regi Macedonico Philippo post diuturnam obsidionem se dedidit.

Romanis temporibus, cum de imperio inter se certarent Pescenius & Seuerus, & Pescenius Byzantium prior occupasset, Seuerus eam urbem obsidione cinxit totum triennium & semestre, ac tandem cum magna multitudo hominum ibi uariis casibus periisset, fame coegit ad deditionem, ac magna ex parte deleuit muris dirutis, quos ait Herodianus, tanta arte factos fuisse ut mirum fuerit destrui posse.

A Seuero usque ad Constantinum anni sunt centum. Interea nec urbs restituta est, nec muri instaurati sunt. Sed Constantinus opportunitate loci motus, urbem non solum restituit, sed etiam splendidissimis operibus & dignitate ornauit, ac uoluit eam prorsus parem esse urbi Romae.

Postea igitur ibi & Ecclesia fuit in qua fuit eruditissimum Collegium, & plerumque recte sentientes Episcopi, & post Alexandrinam Scholam nusquam plus artium fuit quam Byzantii usque ad hoc postremum excidium.

Ac inde cum in Italiam intulissent graecam linguam & Philosophiam Argyropylus, Lascaris, Theodorus Gaza, Trapezontius, Chrysoloras & alii, hic primum Italia, cum Graecae linguae elegantiam degustasset, latinam quoque rectius discere cepit, & graeca lingua aditum ad fontes Philosophiae patefecit.

Riuuli etiam graecae doctrinae tunc in Germaniam deducti sunt. Nam Iohannes Regiomontanus cum graece didicisset, Ptolemeum illustrauit. Rodolphus Agricola Ferrariae Theodoro Gazae, eruditissimo & modestissimo seni familiaris fuit. Denique uere hoc dici potest, inde usque a primo Constantino urbem illam omnium in mundo pulcherrimam a nomine Constantini adpellatam, fuisse praecipuam Ecclesiae sedem & omnium doctrinarum arcem.

Haec eo commemoro, ut magis doleamus omnes illas gentes, quae Christianae nuncupantur, tantum decus amisisse.

Legimus autem inchoatam esse obsidionem nonis Aprilis, & intra moenia,

moenia, praeter Vrbanam multitudinem tantum fuiſſe ſex millia graecorum militum, & auxiliarium Venetorum & Genuenſium tria millia.

Contra Mahometus adduxerat quadraginta millia hominum, quae multitudo maxime collecta fuit ex uicinis gentibus, quae adhuc nominabantur Chriſtianae, ex Graecia, Illyrico, Walachia, Dardanis, Thracia, Bulgaris, Triballis.

Turci pauci fuerunt, & pars fuit ex Aſia, Bithyni, Galatae, Lydi & Cilices.

Sic nobiſcum bella gerunt Turcici Tyranni, ut gentes nobis cognatas nobiſcum dimicare cogant.

Sic autem diſtribuit copias, ut tribus locis terra muros concuteret & diſiiceret & per ruinas tentaret irruptiones.

Erat uirtus egregia in defenſoribus, quorum dux erat Iuſtinianus Genuenſis, & hic multum uſus erat opera uiri fortis, qui nominatur in hiſtoria Iohannes Grandis Almanus, & fortiter repellebant irrumpentes Turcas.

Quanquam autem multi Turcici milites interficiebantur globis & ſagittis, tamen hae exiguae copiae intra urbem tribus locis, contra tantam multitudinem diu ſufficere non poterant, praeſertim cum utrinque cuniculi agerentur, in quibus tamen conatus Turcicorum foſſorum prorſus irriti fuerunt, & in portu aſſidua praelia fierent.

Adduxerat enim Turcicus Tyrannus ex diuerſis littoribus maris aegei & Euxini ducenta & quinquaginta nauigia, ut portum Byzantii obſideret, & littora nauibus tanquam ponte iungeret.

Contra Turcicas naues Stabant in portu ſeptem naues Genuenſium. tres Cretenſium. Et acceſſerant aliquae ex Chio, ac portus ferrea Cathena clauſus erat, ne in eum penetrare Turcicae naues poſſent. Eruperunt autem per occáſionem Naues defenſorum, qui & fortiter praeliati ſunt cum Turcis, & incendere eorum naues conati ſunt, ſtetitque aliquot diebus Turcica claſſis ſine uſu.

Tandem ars excogitata eſt, qua penetrauit intra portum. Tunc uero undique terra & mari moenia urbis quaſſabantur, &

Tyrannus ſperare cepit ſe urbe potiturum eſſe. Cumque multis locis diſiecti eſſent muri, & ex portu facilis eſſet irruptio, die Viceſimo nono Maii, Turci, admotis ad moenia ſcalis, & ex portu & aliis locis, ingenti clamore in urbem irrumpere conantur.

Stat ſpectator Tyrannus in uicino colle, hortatur ut fortiter aſcendant in muros, uociferatur horribiliter ſicubi uidet ſuos repelli & interfici, confirmat trepidos.

Fuit autem tanta uirtus defenſorum, ut pars Turcici exercitus, cum multi in eo loco interfecti eſſent, cederet.

Hic & uictoriae ſpes animum ac robur addit uiris fortibus propugnantibus urbem, & Tyrannum periculi magnitudo mouit, ut horribili ululatu minitaretur cedentibus & cohortes, quas uelut Triarias apud ſe retinuerat, iuberet interficere cedentes.

Contra Graecus Imperator e ſua ſpecula iam bene ſperans, hortatur ſuos, ut cum uiderint auxilium Dei, bona cum ſpe prelientur. Ibi rurſus conuerſa eſt prelii fortuna uulnerato Genuenſi Iuſtiniano duce, quem hortatur Imperator Paleologus, ne fugiat ex ſua turri, cum uulnus non ſit letale. Sed is potius animo fractus, quam uulnere debilitatus fugit, nec alium collocat in illam ſpeculam, qui ceteros confirmaret & regeret.

In eo loco fugam Ducis cum ſequerentur eius milites, quia ibi uia iam in urbem patebat, Turci uidentes eum locum a defenſoribus deſertum eſſe, magno agmine ibi intra urbem infunduntur. Fugit autem Iuſtinianus in Vicinam Chalcedonem quae nunc Galata nominatur, unde poſtea in Chium nauigans ſeu uulnere ſeu moerore animi mortuus eſt.

Imperator Paleologus cum aliis multis, cum uitae ſpes in fuga eſſet, ſi ex urbe effugiſſent, in ipſa porta uel trucidatus eſt, uel colliſione interemptus. Nam in porta octingenta cadauera colliſorum & uulneratorum reperta ſunt.

Victores Turci uagantur per totam urbem & obuios & abditos in aedibus ſenes, matronas, uirgines, puberes & impuberes trucidant. Rapiuntur multae nobiles matronae & uirgines ad ſtupra, quaeritur preda in omnium aedibus & Templis, quam iuſſerat Maho-

Mahometus capta urbe milites tenere. In templis picturae Christi contumeliis afficiuntur, & fiunt omnia scelera toto triduo, quae gens barbarica, impia, libidinosa, auara & crudelis in capta urbe regia, opulenta & ornatissima facere audet.

Post triduum ingressus urbem & arcem Mahometus, sedare tumultus cepit, & inquisitos proceres aliquos, qui adhuc reliqui erant dissecari iubet.

Narrant & in conuiuiis Turcicis honestas matronas & uirgines etiam regiae familiae, post alias contumelias per ludum dissectas esse. Ac nescio an horribiliora exempla legantur in ullius urbis excidio, quorum cogitatio certe mouere omnes homines debet, ut iudicium Dei metuant, uiuant modestius, & adsiduis gemitibus petant, ut Deus propter filium & seruet Ecclesiam inter nos & mitiget poenas.

Sic cum urbium omnium Regina in toto genere humano capta & direpta sit, & experta saeuiciam obscenissimorum & crudelissimorum latronum, quid impendeat aliis gentibus & urbibus cogitemus. Nec frustra nobis proponi tam horrendas tragoedias securi imaginemur, diluuium, interitum Sodomorum, excidium Samariae, Ierosolimae, Byzantii, Athenarum & aliarum innumerabilium urbium euersiones.

O duriora omnibus scopulis pectora, quae talibus irae diuinae exemplis non mouentur, quae ne Diabolos quidem sine tremore & metu uenturi iudicii spectare posse existimo.

Sunt autem anni a Xerxis fuga usque ad Seuerum Imperatorem, a quo antea Byzantium euersum est, aliquanto plures quam septingenti quibus annis floruit Byzantium usque ad Seuerum.

A Constantino anni sunt usque ad hoc excidium circiter mille & centum. Interea & si domesticis & externis bellis interdum quassata est, tamen semper fuit praecipua doctrinarum sedes. Nunc deletis Ecclesiis, bibliothecis & studiis doctrinarum, sublatis ordinum gradibus, Senatu & Magistratibus & extinctis nobilibus familiis, arx est blasphemiae Mahometicae, & stabulum Turcicorum latronum, qui doctrinas, honestam disciplinam, leges, coniugio-

rum foedus, caſtitatis decus furenter contemnunt, & nulla ciuilia ornamenta magnifaciunt, Tantum ardent infinita cupiditate dominationis, quam tamen nihil aliud eſſe intelligunt, niſi facere uaſtitatem in toto genere humano, quam & nomen minitatur. Nam uocabulum Turca uaſtationem ſignificat.

Tale eſt hoc ultimum mundi imperium, quod ſinit Deus ad punienda ominum gentium peccata tam late graſſari, & ſcitis in Prophetis praedictum eſſe tale fore ultimum Imperium ne moti eius potentia deficiamus a filio Dei.

Scribitur Arius uocatus fuiſſe Byzantium ad poſtremam cognitionem, ibi cum mane ad Synodum acceſſurus eſſet, ſubito tanto dolore inteſtinorum adfici cepit, ut deflexerit de uia ad publicam latrinam. Quaecunque fuit cauſa ſubiti doloris, ego conſternationem animi fuiſſe iudico, in qua cordis cruciatus, cum ſentiret iram Dei ut in Iuda, ita laniauit omnia uiſcera, ut inteſtina quoque effuderint ſicut fit in magnis doloribus cordis.

Vt autem tunc in latrinam Byzantiam Arius ſtercora ſua abiecit, ita nunc plane ea urbs cloaca Arii eſt, quia Arii blaſphemia ſemen fuit Mahometicae impietatis. Audio tamen aliquas & in urbe & in uicinia & praecipue in Chalcedone reliquias eſſe Chriſtiani nominis, ſed oppreſſas triſti ſeruitute, & ſubinde homines licentiae militaris cupidos ab Eccleſia ad Turcicam ſectam diſcedere, quia licentia hominibus per ſeſe grata eſt, & ſimul quo ſe fortuna inclinat, eo fit & uoluntatum inclinatio, & omnibus aetatibus multi iudicant de Religionibus ex Imperiorum ſucceſſibus.

Hanc totam narrationem de Byzantio eo recitaui, quia Deus praecepit ut exempla poenarum intueamur, & eorum cogitatione ad modeſtiam & ad ueram inuocationem Dei nos exuſcitemus.

Scitis dictum filii Dei, cum apud eum Pilati crudelitas accuſata eſſet, qui interfecerat Galilaeos aliquot, & coegerat caeteros in ſacrificiis bibere cognatorum ſanguinem, etſi res erat atrox, tamen Chriſtus omiſſa Pilati mentione, commonefacit ſuos auditores de Exemplo. Omnes ſimiliter peribitis niſi uos emendabitis.

Videtis

Videtis quales furores sint hostium Euangelii, quorum multi contra conscientiam defendunt & stabiliunt manifesta idola, deinde quam multi ubique sint Epicurei, quam multi furentes ambitione & odiis, & turbantes concordiam Ecclesiarum & inuocationem piorum, quantum sibi indulgent plurimi in uoluptatibus inconcessis aut immoderatis?

Haec uitia abiicienda sunt & mores rectius regendi & flectendae mentes ad cogitationem uerae doctrinae & ad ueram inuocationem Dei, & petendum est ut Deus nos gubernet, seruet inter nos Ecclesiam & poenas mitiget.

Vult haec peti Deus, quia uult intelligi non humanis consiliis & praesidiis seruari Ecclesiam, & depelli hostes Diabolos & organa diabolorum.

Vagatur Ecclesia inter Diabolos & inter impia Imperia in mundo, sicut exiguus grex ouium inter multa luporum agmina, nec defensorem habet certum nisi filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis & resuscitatum, qui inquit, nemo rapiet oues meas ex manibus meis.

Hunc filium Dei λόγον καὶ εἰκονα ἀϊδιον, ἀϊδίου πατρὸς oro toto pectore, ut ipse propter suam gloriam nos protegat, ne Turcicis aut ciuilibus bellis in his regionibus, barbarica uastitas fiat. Sed seruet inter nos Ecclesiam ipsum recte inuocantem, & regat mentes docentium, ut omnes unum in ipso simus, Amen. DIXI.

Quaestio an Filius Dei Dominus noster Iesus Christus etiam inuocandus sit tanquam Mediator.

Non necesse est me disputare de causa propter quam hic mos institutus est, ut in his honestissimis congressibus inter senes detur locus dicendi rudi adolescentiae, quia nostram aetatem dicit obedientia quam pii parentes & honestae leges flagitant. Sed fortassis uoluerunt nos adhiberi in his spectaculis, ut magis consideremus doctrinarum nomina & inuitemur ad discendum. Ac minus mirum est adhiberi nos cum disseritur de doctrina Euangelii, quia initia

eius

eius doctrinae nos quoque a teneris statim discere debemus. Et filius Dei inquit, sinite paruulos uenire ad me, quia talium est regnum celorum. Praecipue uero necesse est rectissime notam esse doctrinam de inuocatione, & discerni nostram inuocationem ab Ethnica. Cum autem Sophistae quidam contendant Christum nunc post passionem, non inuocandum esse ut Mediatorem seu intercessorem, sed tantum ut Deum datorem bonorum, & nolint dici, Fili Dei Domine Iesu Christe, intercede pro me apud aeternum patrem, propono quaestionem quid in hac controuersia iudicandum sit.

Argumentum est speciosum. Mediatoris & intercessoris officium pertinet ad tempus obedientiae Christi, usque ad resurrectionem. Id tempus praeteriit. Ergo nunc neque intercessor est, neque inuocandus ut intercessor, Maiorem probo, quia Dominus ipse inquit. Non dico uobis, quod ego rogaturus sim patrem pro uobis. Passio tantum ad tempus humilitatis pertinet. Est autem coniuncta intercessio cum passione. Quare tantum ad tempus humilitatis referatur. Haec speciose dicuntur a quibusdam. Sed manifesta testimonia sunt in Epistola ad Romanos, & in Epistola ad Ebreos, quod Christus nunc quoque pro nobis intercedat. Quare etsi passio est certi temporis, tamen officium intercedendi fuit ante assumptam naturam humanam, & nunc manet. Nam in Psalmo dicitur. Postula & dabo tibi gentes hereditatem tuam. Et ad Romanos dicitur, est ad dextram Dei qui & interpellat pro nobis. Et ad Ebreos dicitur semper uiuens ut intercedat pro eis. Haec testimonia cum sint perspicua, manifestum est officium intercessoris non desiisse. Nec apud Iohannem inquit Dominus. Non rogabo pro uobis, sed: non hoc dico, me rogaturum esse. Fatetur se rogaturum esse, ut alio loco dicit. Rogabo pro uobis patrem & dabit uobis Spiritum paracletum. Sed hic adfirmat se aliud adiuncturum esse, quod non potest fieri ab ullis hominibus, qui non norunt Euangelium. Hoc enim adiungit, uos orabitis, non me excluso, sed me praeeunte, ut summus Sacerdos est ἔξαρχος & inchoat precationem, chorus suam uocem adiungit. Verum est igitur, filium utroque modo inuocandum esse, & ut Deum datorem bonorum cum patre &

Spiritu

Spiritu ſancto omnia condidit, deinde ſimul cogitet mens, exaudiri noſtros gemitus propter Mediatorem, & hunc filium intueatur iam ut fratrem & ſummum ſacerdotem adſumpta humana natura. Haec forma precationis uſitata eſt Eccleſiae, omnipotens Deus aeterne pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, creator coeli & terrae & hominum, una cum filio tuo & Spiritu tuo ſancto, ſapiens, uerax, bone, iuſte, caſte, Iudex, miſericors, dator uitae, legis, ſaluator & reſuſcitator, miſerere noſtri propter Ieſum Chriſtum filium tuum crucifixum pro nobis & reſuſcitatum, quem uoluiſti eſſe pro nobis uictimam, καὶ μεσίτην, καὶ ἱκέτην. Cyprianus aditurus ſupplicium, etiam hac forma utitur. Fili Dei Domine Ieſu Chriſte, te peto, ut petas pro me, ut mihi detur &c. Hac tanta de re doceri nos ualde refert, quid enim magis neceſſarium eſt, quam recte inuocare Deum? Quare te, Reuerende Domine Doctor Paule, oro, ut hanc controuerſiam plane & perſpicue diiudices, oro autem filium Dei cuſtodem Eccleſiae, ut nos doceat, gubernet, & protegat, DIXI.

Decanus Collegii Theologici Johannes Bugenhagen Theologiæ Doctor, Paſtor Eccleſiæ Dei in oppido Witeberga.

